





2129 1 110

9.







Contenta

- 1) *Studium Sapientiae*
- 2) *praecipua Christianis necessaria*
- 3) *Hamartigena ex Rom. 5. 12-14.*
- 4) *Blasphemus inq.*
- 5) *Ulpianalis.*
- 6) *pulchrum in theol.*
- 7) *Lectiois cariope.*
- 8) *Gen. 1. 26.*
- 9) *Novitium.*
- 10) *Das. crudelitas mitigata.*
- 11) *Sinceritas S. V. S.*
- 12) *Joh. 9. 29. p. 1-288.*
- 13) *1 Cor. 2. 2.*
- 14) *Deq. Fruing.*
- 15) *Haesclis.*
- 16) *Contritio Salutaris.*
- 17) *Math. 19. 28-30.*
- 18) *Ep. 15.*
- 19) *Col. 2. 18.*

3  
**HAMARTIGENIAM**

EX ROM. V, 12. 13. 14.

DEMONSTRATAM

AVSPICE DEO

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

**DN. GVILIELMO HENRICO**

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, AC MON-

TIVM, ANGARIAE, WESTPHALIAEQVE,

ET RELIQVA

PRAESIDE

**IO. FRANCISCO BVDDEO**

SS. THEOL. D. ET P. P. O.

PATRONO, STVDIORVMQVE PROMOTORE

AETERNVM VENERANDO

*D. XXVI. Nou. A. M. D. CC. VII.*

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI

EXPONIT

**IOANNES KRIEG**

GEDANENSIS

A. & R.

---

*I E N A E*

LITTERIS MVLLERIANIS.

HAMAR TIGENIAM

EX ROM V. 17. 14

DEMONSTRATIO

AVSPE DRO

RECTORI ACAD. S. MAR. IN UNIV. ENTISSIMO

SEMIN. S. MAR. IN UNIV. ENTISSIMO

DR. GUILIELMO HINERIO

D. G. S. MAR. IN UNIV. ENTISSIMO

TIT. S. MAR. IN UNIV. ENTISSIMO

ET TIT. S. MAR.

IN UNIV. ENTISSIMO

IO. FRANCISCO PABDRO

PARSON. S. MAR. IN UNIV. ENTISSIMO

IN UNIV. ENTISSIMO

IN UNIV. ENTISSIMO

IN UNIV. ENTISSIMO

IN UNIV. ENTISSIMO

IN UNIV. ENTISSIMO

IN UNIV. ENTISSIMO

IN UNIV. ENTISSIMO

IN UNIV. ENTISSIMO





CLARISSIMO PRAESTANTISSIMOQVE

I V V E N I

I O. K R I E G

AVCTORI HVIVS DISSEKTATIONIS DOCTISSIMO

S. P. D.

P R A E S E S.



Clarissimum est, quod selegisti, argumentum, in quo profectuum Tuorum aliquod dares specimen idemque dignum, quod diligenti meditatione ab omnibus pertra-  
):( 2 tra-

tractetur. Mortis nomen vix sine horro-  
 re audiunt, qui inde nomen fortiti sunt,  
 mortales: nec causam tamen mortis,  
 peccatum, intelligere volunt. Si nam-  
 que intelligerent, peccatis non adeo de-  
 lectarentur, aut parui saltem penderent,  
 ac si peccare, iocus esset, & res ludi-  
 cra. Ipsa primorum hominum *παράστα-  
 σις*, si modo mentem ferio advertere ad  
 eam vellent, erroris facile eos conuin-  
 ceret. Per eam enim infinitorum ma-  
 lorum cohortem omne hominum inua-  
 disse genus, negare nequeunt. Atque  
 cum mortis, quae corpus animamque  
 disiungit, horrore tantopere angantur,  
 eam tamen, quae mentem vita, quae ex  
 Deo est, priuat, longe utique funestio-  
 rem, & aeternam, nisi homo resipiscat,  
 necessario secum trahentem, in minimis  
 ponunt. Miseriae itaque suae gravita-  
 tem ignorantes, nec remedia eius, quo  
 par

par est studio quaerunt, nec ad Christum, eo quo decet ordine, confugiunt, hoc ipso miserrimi, quod beati esse, & a metu mortis liberari, nolint. Namque spirituali vitae per Christum restituti, certam aeternae vitae spem, omnis iustitiae expultricem, animo conciperent, & illam, quae hinc vitae finem imponit, mortem, transitum ad vitam reputarent. Tanti est, peccati, eiusque effectuum, meditatione, rite perfungi. Quae dum accurate in Tua dissertatione persequeris, DOCTISSIME KRIEGI, operae Te fecisse pretium omnes intelligent, eaque rerum diuinarum notitia imbutum cognoscant, a qua non nisi praeclara quaeuis & patria & ecclesia sibi polliceri queat. Cum autem hanc Tuam, (Tuam inquam, quippe quam merito solus Tibi vindicabas, a me nulla in re adiutus) typis iam exscriptam recolerem, dissertationem,

): ( 3 ) expe-

experimento quodam didici, nihil temere hodie ici, quod non dictum sit a maioribus, nec errorem facile in orbem protrudi, qui non centies iam sit confutatus. In mentem veniebat liber, doctissimi philosophi, cuius magna hodie est celebritas, IOANNIS LOCKII, in quo probare voluit, christianam religionem rationi admodum esse conformem.\* In quo cum nouum veluti aliquod theologiae systema condere voluerit, id inter fundamenta praecipua ponit, non aliam peccati poenam esse, quam mortem, temporalem, aeternaquam vocant, & spirituali, procul faceflere iussa.\*\* Eorum itaque etiam, quae per Christum seruatorem nobis obtingunt, beneficiorum, hanc esse summam, quod fideles per eum a mortuis resuscitentur, reliquis,

---


\* que la religion chretienne est tres raisonnable. \*\* cap. I.

quis, qua corpus, qua animam, aeterna nocte consepultis. Aegre ferebam, Te non a me admonitum, vthunc praecipue profligares errorem, tam comoda praesertim Tibi oblata occasione. At euoluens dissertationem Tuam, & rursus relegens, quae de hac re habet LOCKIUS, iam penitus eius a Te destructum systema videbam, dum solide comprobasti, inter peccati effectus, non temporalem saltem, sed spiritua-lem etiam & aeternam mortem, connumerandam esse. Maacte itaque virtu-te Tua, PRAESTANTISSIME IUVENIS, & in isto virtutis & eruditionis itinere, quod felicibus auspiciis ingressus es, strenue perge. Ego, vti ob hocce praeclarum diligentiae Tuae specimen Tibi ex ani-mo gratulor, ita Deum quoque precor, vt spiritu suo mentem Tuam dirigat, qui Te ducat in omni veritate, animum-  
que

que proficiendi in pietate & bonis litte-  
 ris, magis magisque excitet. Faxit idem  
 DEVS vt ampliffimos aliquando Tui la-  
 boris Tuorumque studiorum referas  
 fructus, cum primis ne destinato in fide  
 perseuerantibus praemio, quod nos in  
 coëlo manet, excidas. Vale.

L.N.I.





I. N. I.

## PROEMIVM.



Anta est epistolae ad Romanos perscri-  
ptae dignitas, tanta argumenti, quod  
in eadem pertractatur, grauitas, vt  
inter omnes, quae Pauli nomen in  
fronte gerunt, primum iure meri-  
toque sibi vindicet locum. Non  
ignoro equidem, plurimos ex eruditorum ordine, aliam  
huius rei in medium proferre rationem. Cum enim,  
chronologia facem praeferente, viderent, ordinem scri-  
ptionis huic epistolae multo inferiorem assignare locum,  
Pearsonio (a) tempus scriptionis in a. Christi LVII. Ia-  
cobo Vsserio (b) in a. LX. Ner. VI. Ludouico Capello  
(c) in a. LIII. Claudii XIV. Heideggero (d) in a. LIX.  
reiciientibus, omnibus vero vnanimi fere consensu sta-  
tuentibus, esse illam vltimam a Paulo adhuc libero, &  
A Hie-

- (a) In anal. vna cum Opp. eius posthumis editis p. 12. seqq.  
(b) in anal. N. T. (c) in appendice ad hist. apostol.  
(d) in Enchiridio Bibl. p. 534.

Hierosolymae nondum vinculis constricto, scriptam, (e) commodissime totam rem expediri posse censuerunt, si dicerent, totum epistolarum Paullinarum ordinem a dignitate urbium, ad quas perscriptae sunt, non quidem ecclesiastica, sed politica dependere, cumque Roma isto, quo Paullus vixit, tempore, caput orbis fuerit, primum quoque epistolae ad Romanos adiudicatum fuisse locum. In hac quippe sententia versantur Hammondus (f) Schomexus, (g) alique. Enim vero vtut non inficer, veterem ecclesiam in epistolis Paullinis ordinandis non omnino nullam praerogatiuae istius, qua vrbs Roma splendore suo, & dominio late excurrente, alias vrbes & prouincias longissime superauit, habuisse rationem; videtur tamen nihilominus argumenti insimul grauitate commota, epistolam illam in προνομικιας thronum euexisse. Io. Cocceius (h) equidem, vir magnae inter eruditos existimationis, nullam omnino dignitatis ecclesiarum habitam esse rationem, existimat. Id vero statuere cum nimis durum mihi videatur, & insuper vir doctissimus nullam, nedum probabilem, asserti huius afferat rationem, eorum sententiae lubentius accedo, qui dignitatem & vrbis & argumenti veterem ecclesiam permouisse, vt primum illi deferrent locum, sibi persuasum habent. Itapost alios sentit Heideggerus (i) apposite scribens: Primas non quidem scriptionis tempore, sed dignitatis ratione epistola ad Romanos obtinet. Nam & ad

(e) Heidegg. l. c. p. 518. Ludou. Cappellus l. c. Io. Cocceius in Comm. epist. ad Rom. p. 3. (f) in Praemonit. epist. ad Rom. (g) in Prooem. exeget. epist. ad Rom. (h) l. c. p. 3. (i) l. c. p. 535.



& ad Romanos fideles, incolas scilicet eius vrbis, quae summam tum temporis in orbe maiestatem obrinuit, & terrarum orbi iura dedit, scripta est: & de primariis fidei articulis ita compendiose, & artificiose agit, vt vniuersae theologiae medullam, delibatamque summam completi dicatur merito, nec sine causa christianorum catechismi nomine apud veteres venerit. Et sane si quis totius epistolae argumentum paulo acutiori mentis acumine perlustrer, non tantum solatistuum illam de iustificatione hominis peccatoris coram Deo per fidem doctrinam, prolixè non minus atque accurate exponi, confirmari, vindicari; sed & insimul alios fidei articulos, qui cum doctrina ista propinquiorem nexum habere videbantur, inpergi, & pro instituti ratione egregie dilucidari, deprehendet. Sunt fateor, vt in ceteris Paullinis epistolis, ita etiam in hac quam plurima *θεσβήματα* de quibus & Petrus (k) & prisca aetate patres haut pauci conquesti sunt, nominatim Origenes, (l) Augustinus (m) aliique, ea tamen vel ab hominibus *λόγος δικαιοσύνης ἐν ἀπίστοις* & scopum apostoli presse sequentibus, facile intelliguntur, (n) vel ita comparata sunt, vt doctrinae principali nullam offundant caliginem, vt illi potius suus adhuc constet nitor, suus ordo, suum robur. Ego sane summa epistolae huius praestantia excitatus, cum specimen profectuum meorum edere constituerim, haud poenitendum operae pretium me facturum censui, si ex eadem argumentum quoddam publicae ventilationi exponendum,

A 2

feli-

(k) 2. Petr. III. 2. (l) in Philocaliac. 9. (m) Kerra & L. I. c. 15. (n) conf. Heidegg; l. c. p. 547. & Cocceius l. c. p. 3. 4.

Feligerem. Subministravit illud perquam commode lo-  
 cus *Rom. V. 12. 13. 14.* in quo diuus gentium doctor tum  
 nouum argumentum pro confirmanda iustificatione ho-  
 minis peccatoris per fidem in Christum, eiusque praestan-  
 tia adducit, tum insimul originem, fructumque & effe-  
 ctum peccati calamitosum, clare atque perspicue deli-  
 neat. Et hinc disputationis praesentis nomen enatum  
 est. Hamartigeniam appello, quia dictum Paullinum or-  
 tum atque genesin peccati originalis egregie adumbrat,  
 secutus hac in re haud incelebrem Christianorum poe-  
 tam Prudentium, cui in consimili argumento versanti, eum-  
 dem labori suo titulum imponere placuit. Ceterum non dif-  
 fiteor, locum istum Paullinum haud contemnendis premi  
 difficultatibus, adeo vt in iis superandis vel acutissima in-  
 genia desudare necessum habeant. Verum & in arduis  
 versari semper pulchrum duxi, & si in quibusdam mi-  
 nus felicem successum expertus fuero, tritum illud mihi  
 solatio futurum censui: in arduis voluisse fat est. Ne  
 vero tota tractatio fluat sine ordine, duabus illam inclu-  
 dam sectionibus. Prior erit exegetica, & in genuinum  
 dicti nostri sensum, legitimis rite interpretandi mediis  
 adhibitis, inquiret. Posterior erit dogmatica, & articu-  
 los seu dogmata fidei ex explicatione loci prono alueo  
 fluentia adducet, roborabit, & sicubi opus fuerit, vindica-  
 bit. Tu vero o aeternae Deus, dirige mentem, dirige  
 calamum, vt nihil de hoc argumento mediter, nihil scri-  
 bam, nisi quod veritati Tuae diuinitus patefactae conso-  
 num est, atque ita hoc, quidquid est opellae, illum, quem  
 omnibus actionibus nostris praefixum voluisti, finem con-  
 sequatur, Tuam scilicet gloriam, proximique aedifica-  
 tionem. *FINITO.*

SECT.

SECTIO I. EXEGETICA.

S. I.



Ntequam, Deo auspice, ad ipsam dicti Paullini *ἐξηγήσειν* progrediar, vt de occasione scriptiois, & scopo epistolae Paullinae in antecessum quaedam edisseram, instituti ratio postulat. Occasionem autem scribendi specialem Paulo dederunt controuersiae Iudaeos inter & Gentiles summo animorum feruore agitatae, illis quidem federis praerogatiua superbientibus, iustitiam legis crepantibus, & Gentiles tanquam *ξένος τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας* contemnentibus; his vero asserentibus, aequali iure ad semetipsos promissiones euangelicas, & beneficia foedere gratiae comprehensa pertinere, & eo magis quidem, quod Iudaeorum quamplurimi, sermonem istum de gratia, per Christum fide apprehensum, vnice impetranda, repulerint, & semetipsos vita aeterna indignos declarauerint, rem ita asserentibus Paulo & Barnaba (o). Lites haec subortas compositurus apostolus, epistolam ad Romanos exarauit, in qua tum de iustitia, per quam peccator iustificatur, clarissime differit, ostenditque, illam nec operibus legis naturalis, quam Gentiles obtendere poterant, nec operibus legis Mosaicae, quorum typho Iudaei inflati insolescebant, sed fide iustitiam Christi apprehendente, sibi que fiducialiter vindicante, obtineri

A 3

neri

(o) Act. XIII. 46.

neri posse; tum insimul euincere conatur, gratiae istius foederalis non Iudaeos duntaxat, qui illam sibi met solis, exclusis omnibus, reservatam putabant, sed etiam gentes sub promissione Abrahamo facta aequae comprehensas, participes reddi debere, subnexis circa finem epistolae officiis ab omnibus, qui semel iustificati vitam, euangelio Christi dignam, instituere gestiunt, sedulo obseruandis. Et hunc quidem epistolae Paulinae ad Romanos scopum esse, huc omnia, quae in eadem asseruntur, tendere, ex accurata eiusdem lectione & inspectione ὁφθαλμοφανεῶς liquere arbitror.

§. II. Cum vero in controuersiam hanc de Gentilibus in Communionem omnium gratiae euangelicae beneficiorum aduocandis, inciderim, iuuat eandem paulo altius repetere, & a primis arcessere initiis, cum fraud parum momenti in toto negotio situm sit, & insimul accessum ad ipsam dicti nostri ἐξηγήσει planiorem atque expeditiorem reddat. Scilicet si historiam euangelicam paulo attentius perlustremus, facili deprehendemus negotio, Seruatorem optimum doctrinam istam de Gentilibus intra ecclesiae christianae pomeria recipiendis, plusquam simplici vice proposuisse. Licet enim se non nisi ad πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οὐκ ἰσραὴλ missum testetur, (p) nihilominus tamen Gentilibus lucem euangelii libenter affulgere patiebatur, & occasione ita ferente, doctrinam de Gentilibus ad regnum gratiae uocatione exponebat, tum nudo & simplici, (q) tum parabo.

(p) March. XV. 24. (q) Matth. IIX. u. Luc. XIII. 29.

rabolico & figurato dicendi genere. (r) Quin imo quamplurimis ex V. T. adductis vaticiniis in historia euangelica idem confirmari videmus, e quibus haud postremum est, quod cum Saluator optimus in Ethnicorum confiniis dulcissimam euangelii concionem expositurus versaretur, locum Esaias c. IX. r. complementum suum fortitum esse Matthaeus (s) referat. Nec minus exemplo Seruator benignissimus istud comprobatum iuit, & facta verbis respondere iussit. Vt enim singularia conuersionis Gentilium a Christo peractae exempla, vt potest mulieris Samaritanae, Centurionis Capernaetici, aliorumque, taceam, id vnicum in praesenti obseruo, Mesiam optimum saepissime, imo plurimum, sedes suas in Galilaea gentium habuisse, quod Eusebius (t) ideo factum esse haud inepte censet, vt in primitiis gentium colligendis initium faceret, pleniori messe apostolis relicta. In finibus Chorazin, Bethsaida, aliarumque urbium in Galilaea gentium sitarum, Redemptorem nostrum saepissime commoratum, interdum Tyri quoque & Sidonis fines ingressum, variis miraculis doctrinam suam illustriorem reddidisse, ex historia euangelica plus quam simplici vice discimus. Quin imo si Eusebio (u) fides habenda est, ad Abgarum Toparcham Edessanum litteras transmisit, & post abitum, aliquem ex discipulis Edessam sese missurum, spem haud dubiam fecit. Quam quidem historiam cum multi merito suspectam reddant,

egre-

---

(r) Matth. XXII. 1. seqq. Luc. XIV. 16. seqq. (s) Matth. IV. 13. 14. 15. 16. (t) L. IX. Praeparat. Euangel. (u) L. I. H. E. c. XIII

egregium ante paucos annos nacta est defensorem Guilielmum Caveum (x) Anglum doctissimum, qui rationibus inter scripta spuria has litteras referentium masculè quidem, sed perperam tamen, sese opposuit, (y) Et quid multis? Baptismi certe institutionem, adeoque gratiam simul per *λυτρὸν τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι* offerendam simul, & conferendam, ad πάντα τὰ ἔθνη extendit. (z) Haec omniavero & dicta & facta Christi licet abunde testarentur, Gentiles sub nouo foedere in participationem omnium gratiae euangelicae beneficiorum, admittendos, & ouile Christi *ἄλλοις πρέθασιν* implendum esse, nondum tamen apostolorum oculos fulgore suo perstringere poterant. Petrus certe, antequam Cornelio Centurioni ethnico euangelium annunciarer, visione prius hac de re monendus erat, de qua conferri meretur Origenes, (a) qui totam visionis historiam, & modum Petro praedicationem Gentilibus non inuidendam, persuadendi, egregie fuit persecutus. Quin imo hac de re penitus persuaderi haud poterat, antequam totam missionis historiam ex ipsius Cornelii ore percipisset. Tum demum enim *τὸ μεσότοιχον τοῦ Φραγμῆ* solutum, pacemque *τοῖς μακρὰν, καὶ τοῖς ἐγγύς* praedicandam esse, cognoscebat, aperto professus ore, sub nouo foedere *ἐν παντί ἔθνει τὸν φοβούμενον θεὸν, καὶ ἔργαζόμενον δικαιοσύνην* Deo gratum acceptumque esse. (b)

Prae-

(x) in Hist. Lit. script. Eccles. Tom. I. p. 2. seqq. (y) Conf. de toto negotio Dn. D. Ittigius Hept. Diss. I. c. p. 97. seqq. (z) Matth. XXIII. 19. (a) L. 2. contra Celsum. (b) Act. X. 34.

Praeuertebat insuper Spiritus S. descensu suo baptismum, vt omnis hac in parte tolleretur difficultas, & Petrus de gratiosa Dei voluntate magis magisque confirmaretur. Quanta ex hoc baptismo dubia, quanta concertationum ortae fuerint, ex Actis liquet, (c) quarum praecipuum autorem Cerinthum fuisse perhibet Epiphanius. (d) Concilio Hierosolymitano instituendo occasio postmodum subnata fuit, in quo Petrus ad stabiliendam euangelii inter Gentes pradicacionem, visione ista nititur, & omne sub nouo foedere discrimen inter Iudaeos & Gentiles sublatum esse, testatur. (d) Quamuis autem haec omnia non Petrus tantum, sed & reliqui apostoli Iudaeis sedulo diligenterque inculcarent, nondum tamen omnes hac de re controuersiae e medio tolli poterant. Iudaei praerogatiua gentis suae nimium fascinati, sibimet solis Dei praesentiam, eius singularem fauorem & promissiones euangelicas vindicabant, Gentilibus tantum angelorum custodia relicta; sibimet solis vitam aeternam adiudicabant, Gentilibus post hanc vitam nihil superesse contententes, exponente ita eorum sententiam Io. Buxtorffio. (e) Cumque Iudaei praecipuam Pauli curam in eo versari viderent, vt Gentiles per praedicationem euangelicam ad cognitionem Christi *τῆς εὐαγγελίας*, & plenam beneficiorum morte eius partorum fruitionem perduceret, consultum duxit summus ille Gentium apostolus, in duabus epistolis, scil. ad Romanos, & Galatas, prolixius, & in tertia epistola ad Ephesios breuius,

B doctri-

(c) Act. XI. 1. (d) Haeref. 28. n. 2. (d) Act. XV. 7. 8. 9.  
 (e) in Synagoga Iud. c. IIX.

doctrinam de iustificatione & hinc fluente aeterna salute, ad Iudaeos & Gentiles aequali iure pertinente, exponere. Bene proin magnus ille Martinus Chemnitius, in tribus hisce epistolis, & quidem catecheticè in epistola ad Ephesios, paulo longiori explicatione per descriptiones, argumenta & refutationes in epistola ad Galatas, iusta denique tractatione & explicatione singularum partium in epistola ad Romanos, fundamenta doctrinae christianae pertractata fuisse, adseruit.

§ III. Singula haecenus adducta eo tendunt, ut euincatur clarius, nullum alium epistolae Pauli ad Romanos scopum esse, nisi hunc, ut ostendat apostolus, iisdem Iudaeos & Gentiles sub nouo foedere gaudere priuilegiis, aequalem utrorumque esse prerogatiuam, aequali iure utriusque adnunciandum euangelium, & omnia, quae in eodem offeruntur bona, adeoque etiam iustitiam Christi, per fidem esse conferendam. Et haec ratio est, qua adductus apostolus, in ipsa rei tractandae propositione adserit, euangelium esse potentiam DEI ad salutem omni credenti, *ἰσχυρία τοῦ πρώτου καὶ ἑσθίου* c. I. 16. Per vocem *ἔθνη* Gentiles designari, iis ignotum haud esse potest, quibus lectio Noui Testamenti in deliciis fuit, cum primis cum idem variis locis parallelis confirmatum videre liceat. (f) Patet vero insimul & istud, apostolum nostrum optimo consilio in tribus pene prioribus capitibus demonstrare annisum fuisse, Iudaeos aequè ac Gentiles per opera legis iustificari non posse, sed utrosque irae DEI ac maledictioni legis obnoxios, sed

(f) A&. XVI. l. 3. Gal. II. 3. III. 28. Coloss. III. II.



alia plane iustificatione indigere, istam vero per solam fidem in Christum nobis obtingere, obigisse quoque fidelibus V. T. imprimis Abrahamo & Davidi, donec tandem delabatur ad caput quintum, in quo recensitis iustificationis fructibus, solius Christi tamquam causae meritoriae beneficio, in nos deriuatis, nouum in dicto nostro argumentum a parallelismo peccati Adamici, & iustitiae Christi depromit, quo euincere conatur, iustitiam Christi ad gentiles aequae ac Iudaeos pertinere, cum peccatum Adami, peccatiq; effectus, mors, ad omnes homines, adeoque etiam Ethnicos pertransierit. Et haec de scopo praemittere placuit, quae vti paulo prolixius pertractata videri possint, ita tamen comparata esse censeo, vt insignem toti epistolae lucem foenerari possint. Quod si quis plura de scopo legere desiderat, adeat Schmidium, (g) Calouium, (h) Hammondum (i) aliosque.

§. IV. Progressuris iam ad ipsam dicti Paullini ἐξήγησιν, primum sese offerunt verba: διὰ τῆς. Quorum cum ea sit vis atque energia, vt aliquid ex antecedentibus inferant, optimo iure hoc de connexionione cum antecedentibus dispiciendum erit. De qua quidem eo magis sollicitum me esse iubent variae interpretum, quas circa hoc negotium deprehendere licuit, dissensiones. Neque omnia hic adeo plana sunt atque expedita, vt potius cum Daniele Heinsio (k) & Sebastiano

---

(g) in praefat. comm. Epist. ad Rom. p. 3. 4. (h) ad Epist. ad Rom. (i) in Praemonit. eiusdem epistolae. (j) in exercit. sacris p. 352. (k) in comm. ad h. l. 352.

Schmidio, (k) mirifice eruditos de connexionione laborare, fatendum sit. Cuius quidem adfertur veritatem eo clarius perspicere licebit, si nonnullas interpretum hac de re sententias adduxerimus. Sebastianus Schmidius, alter seculi nostri Hieronymus, (l) cum in toto hoc capite de iustificationis continuatione agi praemonuisset, ad dictum nostrum deueniens existimat, obiectionem quamdam, quasi non a pluribus peccatis iustificemur, quam Adamus in nos deriuauerit, & cum non nisi vnicum in nos deuolutum sit, ab vnico tantum absoluamur, occupari, & concedere quidem apostolum, quod per vnicum Adami peccatum & mors in mundum intrauerit, negare autem, quod perfectissima Christi obedientia non a pluribus, quam peccato Adamitico liberet. (m) Aliam ingreditur viam Abrahamus Calouius, qui nouum & quidem a collatione Adami primi & secundi desumptum argumentum pro confirmanda iustificatione per fidem, eiusque singulari *ἐξ ἑξῆς* ab apostolo adduci, sibi persuadet. Hinc connexionem & tenorem totius argumenti hunc constituit: quod si iam Iustificati suauissima cum Deo pace, & interna animi tranquillitate fruimur, id vero beneficium Christi merito vnice transcribendum est, prono inde alueo sequitur, non potuisse nos horum iustificationis fructuum participes fieri, nisi per fidem imputatae Christi iustitiae compotes reddamur, & eo quidem modo, quo de inobedientia & peccato primi hominis

---

(l) hoc ipsum elogio ornat Dn. D. Zentgrauius in vita ipsius comm. epist. ad Rom. praemissa. (m) in comm. ad h. l. p. 353.

minis imputatione culpae eiusdem, vi iustitiae Dei vindicatricis participauimus. (n) Eodem fere redit sententia Io. Cocceii. (o) Henricus Hammondus, collationem iustitiae Christi cum condemnatione per Adamum facta institui, eamque ab apostolo hoc sine confirmari & illustrari existimat, vt euincat, Dei misericordiam, & reconciliationem cum eodem, merito Christi adquisitam ad omnia hominum genera, adeoque ad Iudaeos aequae ac Ethnicos spectare. (p) Plures interpretum hac de re sententias adducere supersedeo, cum in iisdem recensendis industriam suam collocauerit Sebast. Schmiddius. (q) Paucis tantum meam de connexionione subiungam sententiam. Et initio quidem dissimulare haud possum, me omnino iis suffragari, qui nouum pro confirmanda iustificatione per fidem, eiusque praestantia, argumentum ab apostolo in dicto nostro proponi, arbitrantur. Id vero deinceps cum immediate antecedentibus ita connecto. Dixerat haecenus apostolus, Christum in toto δικαιώσεως negotio causae meritoriae locum obtinere, ei vnice omnia, quae ad nos inde redundant, bona grata atque accepta ferenda esse, nonnisi eius merito, & perfectissima satisfactione plenam cum Deo reconciliationem nobis obtigisse. Iam commodam ad nouum argumentum, thesios suae βεβαιώσεως inseriturum, digressionem instituere cupiens, ita pergit: Διὰ τῆτο ἵ, e. quae omnia si vera sunt, si per Christum τὸν καταλλαγὴν ἐλάβομεν, euidenti id insimul elicitur collectione,

B 3

non

(n) in Bibl. illustr. ad h. l. (o) in Comm. ad h. l. p. 261.  
269. (p) in adnot. ad h. l. (q) l. c. p. 353.

non potuisse alio modo istam *καταλλαγὴν* in nos derivari, nisi per imputationem iustitiae Christi, ita quidem, ut sicut per unum hominem legem proterve transgredientem, & per istius transgressionis imputationem, peccatum, eiusque fructus, mors, ad omnes homines pertransiit; ita contra per Christum tanquam istius hominis antitypum legem perfectissime implentem, & passione acerbissima vindicatrici Dei iustitiae plenissime satisfacientem, ad omnes homines iustitia, & eius effectus, vita ac salus aeterna, & quidem per imputationem eius, ad omnes homines pertingat, cumque non Iudaei tantum, sed & ethnici peccati Adamitici participes facti sint, simili quoque ratione utrosque iustitiae Christi per solam fidem imputanda, compotes reddi debere. Et id quidem nobis novum pro confirmanda thesi nostra generali subministrat argumentum, per partes suas iam prolixius deducendum, & ab obiectionibus suis liberandum. Ita nexus erit facilis, cohaerentia optima, & insuper scopo apostoli, quem in supra adductis paullo dilucidius exposuimus, plena satisfiet. Quod enim a Sebast. Schmidio, cuius manes religiosissime veneror, modeste dissentiam, eius rei hanc habeo rationem, quod si apostolo Paulo obiectionem istam, quod non a pluribus iustificemur peccatis, quam Adamus in nos derivaverit, praevertere, & solvere propositum fuisset, in v. 19. ubi totum argumentum concludit, vrgere debuisset, non tantum nos per obedientiam unius constitutos esse iustos, sed etiam a multis peccatis *ἐν πολλῶν παραπτώματων* liberatos esse, ut pote in quo torius causae momentum situm erat. Quod cum factum non deprehendamus, quin

quā imō ex v. 19. clare perspiciamus, apostolum pro roboranda doctrina sua parallelismum quemdam inter peccatum Adamiticum, & iustitiam Christi instituisse, & v. 15, 16. obiectionem, quae ex ultimis v. 14. verbis nasci poterat, remouere, atque occupare voluisse, placuit sententiae hactenus adductae insistere, cum primis cum illa scopum apostoli presse sequatur. Et haec quidem vii sua radiare luce mihi persuasum habeo, ita insimul illud liquere arbitror, verba *διὰ τούτο*, quae alias a variis varie transferuntur, (r) in natia & propria sua significatione relinqui & posse, & debere.

§. V. Succedit iam particula *ὡσπερ*, quae obseruante doctissimo Schmidio, diuersas peperit interpretationes. Erasmus Roterodamensis (s) vir inter criticos haud infimi subfellii, in ea est sententia, non posse commode τὸ ὡσπερ pro aduerbio similitudinis haberi, cum sua, quam tamen requirat, ἀποδοσει careat, aut, si proprium suum retinere debeat significatum, in coniunctione *καὶ* *ἕως* subaudiendum, & in posteriori hemistichio v. 13. apodosin constituendam esse, vt ita indicetur vtrumque & peccatum & mortem communem agnoscere originem, & ab vno homine ad omnes pertransisse. Alii difficultati huic omnium optime se mēderi posse existimant, si dicant, occurrere hic *ἀνανταπόδοτον*, in quo *ἐπ' ἄδοσει* sit omissa ex sensu facili opera supplenda. Erasmus Schmidius vir graece doctus cum B. Augustino hyperbaton quoddam admittit, & *ἀπόδοτον* ad v. 18. 19. reicit. Vtrumque & *ἀνανταπόδοτον* & *ὑπερβατον* Schmidio

(r) conf. Schmid. l. c. p. 353. (s) in Bibl. crit. ad h. l.

dio nimis durum videtur, atque coactum. Vtrumque igitur cuitaturus in v. 13. & *πρότασι* & *ἀπόδοσι* exhiberi, & hoc sine *τοῦ κει* *ἔως* per eadem ratione transferri posse credit, ita tamen vt in simul largiatur, sensum in hac comparatione non absolui, sed primum tantum comparationis, seu oppositionis membrum declarari, cuius alterum membrum sequatur v. 15. Nos, etsi *σύγκρισι* peccati Adamitici cum iustitia Christi in v. 12. nondum plene absolui, sed tantum *πρότασι*, exhiberi B. Schmidio concedamus, in ceteris tamen ab eo modeste dissentimus, firmissime persuasi, *ἀναυραπόδοτον* omnino hic esse admittendum, & apodosin, quae protasi respondere debeat, tum in ultimis v. 14. verbis implicite contineri, tum clarius v. 18. omnium clarissime vero v. 19. protasi prius readsumpta, & aliis verbis prolata, exprimi. (t) Et quantumuis B. Schmidio id durum videatur, in elliptico tamen & abrupto dicendi genere, vbi obiectio- nes largius interspersae textum non possunt non reddere hiulem, id haud infrequens atque inusitatum esse, a quouis styli Paullini gnaro, me impetraturum esse confido.

§. VI. Quisnam *ὁ ἐνὸς ἀνθρώπου* ab apostolo designetur, in id vt inquiramus, ordo verborum a Paullo seruatus, deposcit. Et de eo quidem interpretibus plurimis Schmidio, (u) Schomero, (x) Cocceio (y) inter se conuenit, non nisi Adamum, eonim unem omnium hominum parentem per *ἓνα ἀνθρώπων* intelligi posse.  
De

(t) Consentit Cocceius l. c. p. 268. (u) l. c. p. 357. (x) in Exegeti Epist. ad Romanos p. 22. (y) l. c. p. 269.

De eo tamen solliciti sunt nonnulli commentatores, vt rationem quendam reddant, cur apostolus vnus tantum hominis, & quidem vt ex v. 14. patet, Adami mentionem iniiciat, cum Eua in transgressione legis diuinæ, omnino Adamo adiungenda sit, quin imo prae marito suo nominari debuerit, cum prima peccauerit, & in transgressione decepta fuerit, teste apostolo. (z) Vbi diuersi diuersas ineunt vias, vt quandam huius rei proferre possint rationem. Hugo Grotius (a) Hebraeos non solere γενεαλογεῖν per foeminas, adeoque Paullum in tali argumento, ad quod γενεαλογία Adami & posterum pertinere videbatur, commode Euae nomen reticere potuisse, credit. Alii, inter quos sunt Hunnius, (b) & Schomerus, (c) regerunt, Euam equidem, si ordinem transgressionis spectes, priorem peccasse, Adamo tamen specialiter illud attribui peccatum, quo prima propagationis, & deriuari in posteros peccati causa sit. Pareus haud incelebris Reformatae Ecclesiae doctor, apostolum duos intelligere homines Adamum & Euam credit, quia vxor & maritus vna caro fuerunt, adeoque & vnus homo appellari commode potuerunt. Vbi tamen recte obseruat Schmidius, (d) nusquam in Scriptura Sacra duos coniugali vinculo constrictos homines *εὐα* appellari *ἀνδρα*, licet *μίαν σάρκα* eisdem nuncupari haud infrequens sit; praeterea quoque cadere comparisonem apostolicam inter Adamum, & Christum, vt pote qui

C

singu-

(z) 1. Tim. II. 14. (a) Apud Calov. in Bibl. illustr. ad h. l.  
 (b) citatus a Schmidio p. 358. (c) l. c. p. 22. (d) l. c.  
 p. 358.

Singularis & vnus homo proprie loquendo sit. Ipse igitur Schmidius (d) reiecta & Parei, & Hunnii, atque Schomeri sententia, existimat, Euam peccasse non absente, sed praesente, non renuente, sed conueniente, & consentiente potius viro, cumque Adamus, vt debuisset & potuisset, non obstiterit, illi merito omnem culpam, vt-pote quae in ipso potius, quam muliere incipiat, transferendam esse. Enimvero vnde viro coeteroquin doctissimo innotuit, Euam praesente, imo consentiente marito, mandati diuini limites transiisse? Sane si historiam tentationis paullo aduentius perlustremus, haud omnino videtur improbabile, serpentem personatum, cum Eua a viri in alio fore horti loco obambulantis societate remota, & veritam arborem intuens, serpentis loquelam attonita admiraretur, primam seducendi adripuisse occasionem, probe gnarum, totum negotium, absente viro, longe felicius esse successurum. Quod si enim praesente marito id factum fuisset, ille absque dubio, tamquam in statu integro adhuc constiturus, & mascula animi, constantia fultus, omnia symbolici serpentis sophismata excepisset, retudisset, & sic Euam a peccato immunem praestitisset. Quae omnia cum haud inani nitantur coniectura, ego sane haud video, quo demum argumento vir doctissimus adserto suo quamdam veritatis speciem conciliare possit. Ex historia tentationis, ad quam hic vnice recurendum, illud vel leui quadam coniectura colligi haud potest, ex qua id saltem discimus, serpentem personatum mulierem primum adgressum,

cum

---

(d) l. c. p. 358.



cum ea sermones miscere coepisse, his misere succubuisse Euam, & fructum arboris veritae degustasse, virum denique casu accedentem, & blanditiis muliebribus ad edendum compulsus, in idem cum vxore peccatum consensisse. Hic seductionis ordo vti a Scriptura sacra dilucide satis adumbratur; (e) sita vno veluti imperu id, quod adsero suo superstruit Schmidius, diruit, videlicet Adamo peccatum Euae tribuendum esse, ratione culpae, quae in ipso potius, quam in muliere, incipiat. Quod si enim Euae deceptio in transgressione, absente nedum consentiente marito, contigit, quis quaeso negare queat, nullam in Adamo haerere culpam, quae in ipso meliori iure initium sumat, quam in Eua? Taceo alia, quae contra hoc adsertum Schmidii in medium adferri possunt, cum breuitati studendum, nec, quae dici poterant, sed quae dici debebant, adducenda sint. Vt tandem qualemcumque nostram de hoc negotio subnectamus sententiam, omnino existimamus, solam Adamini mentionem ab apostolo iniectam fuisse, vteo prior inter ipsum & Christum institui posset comparatio, quae alias haud ita bene fluxisset, si Euam, vt pote quae prior ratione temporis peccauerat, in Adami locum substituisset. Neque penitus eorum mihi displicet sententia qui ob propagationem, in qua primas Adamus tenuit, viro peccatum adscribi adserunt. Sane ex voce *διήλασε*, qua in versu nostro vtitur apostolus, quamque de iis, quae contagio facile propagabili ad nos transeunt, usurpari, obseruat Erasmus, haud male coniiicitur, non

(e) Gen. III. v. 1, 2, 3, 4, 5, 6.

omnino nullam propagationis hic haberi rationem. Quin immo ad diiudicandum apostoli scopum haud parum istud confert, vt pote qui eo tendit, vt ostendat, ab Adamo in nos mortem & peccatum, a Christo contra iustitiam & vitam propagari. Ceterum, quae de loco I. Tim. II. 14. moneri poterant, ea παραφραστικῶς expressit Sebast. Schmidius, (f) ad quem lectorem remitto.

§. VII. Ἀμαρτία quid sit, de eo vt dispiciamus, officii nostri, quod semel in nos suscepimus, ratio exigit. Et hic rursus, quemuis interpretum propriae indulgere explicationi, videas. B. VVellerus, Meisneri, aliorumque vestigia securus, tria in peccato agnoscit, culpam actualem, reatum legalem, & prauitatem naturalem; & ista nos teneri adserit participatione, cum in Adamo omnes peccauerint; illo, imputatione, cum primus homo staret & caderet, vt caput, in quo conseruarentur, & perderentur priuilegia; hac, propagatione, quia in omnes per conceptionem naturalem diffunditur. Erasmi Roterodamensis (g) Socinianorum hic inflat tibias, & ad imitationem peccati Adamicum recurrendum esse, censet. Balduinus (h) per τὴν ἀμαρτίαν intelligit peccatum originale, quod in Adamo quidem fuerit actuale praecepti scil. de arbore prohibita transgressio; in nobis autem originale, quia per generationem naturalem nobis commune fit, & cum naturae nostrae origine incipit.

B. Se.

---

(f) in paraphrasi epist. prioris ad Timotheum, Commentariis epist. ad Rom. Galat. & Coloss. subnexa p. 901.  
(g) in Bibl. Crit. ad h. l. (h) in Comm. ad h. l.

B. Sebast. Schmidius (i) τὴν ἀμαρτίαν explicat, de profunda illa corruptione, quae per primum vitiosum Adami actum totam eius naturam inuasit, & sic in mundo esse coepit. Monet insimul & istud, sedulo diligenterque distinguenda esse diuersa peccata, & apostolum δι' ἐνὸς ἀνθρώπου scil. ἀμαρτανότου actuale istud Adami peccatum, quod τῆ ἀμαρτία ingressum in mundum patefecit; per τὴν ἀμαρτίαν, vero peccatum, quod totam Adami naturam intime peruasit, & insimul foede deprauauit, indicare. Quae omnia vii praeclare atque egregie dicta sunt, & mentem apostoli luculenter expriment; ita illud saltem addendum esse pato, meo qualicumque iudicio, per τὴν ἀμαρτίαν & transgressionem legis diuinae, & hinc ortam profundissimam totius naturae humanae corruptionem ab apostolo exprimi. Cum enim in subsequentiibus huic ἀμαρτία mors tamquam fructus atque effectus calamitosus assignetur, & vero ex παραβάσει legis Adamo in paradiso iniuncta mors instar poenae, ex summa autem naturae deprauatione secundario quasi, & instar necessarii consequentis profluxerit, haud alienum quid a mente & intentione apostoli pronunciabo, si & peccatum actuale, & insimul hinc ortam naturae corruptionem, voce ἀμαρτίας ab eodem indicari dixerō.

S. VIII. Quid per τὸν κόσμον intellectum velit apostolus, id iam nos occupatos tenere debet. Hugo Grotius (k) totum genus humanum, cui primus peccandi

(i) in Comm. ad h. l. p. 355. (k) apud Calou. in Bibl. illustr. ad h. l.

candi exemplum Adanius dedit, intelligit. In quo quidem adfero Socinianorum & Arminianorum, in quorum castris saepissime alias militat, ex parte accedit sententiae, recte idecirco refutatus a Cocceio; (l) ex parte sibi consentientes habet quamplurimos, ex nostris Hunnium, Wellerum, Balduinum, ex Reformatis ipsum Cocceium, ex Pontificis Estium, B. Sebast. Schmidius (m) tamen commodius mundum pro terra, in qua homines habitant, accipi posse credit, sequentibus inductus rationibus, quod in nostro versu mundus distinguitur ab omnibus hominibus, quod *εἰσέλευσις εἰς τὸν κόσμον*, & *διέλευσις εἰς πάνταν ἀνθρώπου* tanquam diuersa ponantur, quodque, si communem accipias sententiam, vix tautologia euitari possit. Enimvero, vt verum fatear, adlatae haec rationes id nondum a me impetrare possunt, vt sententiae Schmidii de mundo ab hominibus inhabitato, τὸν κόσμον explicantis, meum addam calculum. Quod ad primam adinet rationem, tantum abest, vt ὁ κόσμος ab omnibus hominibus distinguatur, vt potius haec duo sibi inuicem subordinanda, & de vno eodemque subiecto accipienda sint, quod per primam vocem paullo obscurius propositum, per alteram clarius erat exprimendum. Quin nec secunda ratione, quod *εἰσέλευσις εἰς τὸν κόσμον*, & *διέλευσις εἰς πάντας ἀνθρώπου* tanquam diuersa ponantur, id quod inferit Schmidius, euinci potest. Si enim *εἰσέλευσιν τῷ θανάτῳ αἰς τὸν κόσμον* de violenta dominii adrogatione, τὴν *διέλευσιν εἰς πάντας ἀνθρώπου*, vero de tyrannica eius exe-

(l) in Comm. ad h. l. p. 269. (m) l. c. p. 359.



executione, explices, (n) haud inconueniens erit, statuere, vtrumque de Adami posteris, & vniuerso humano genere, explicari posse. Sed & illud denique addendum, omnem tautologiam, si dextre omnia explicentur, prorsus expirare. Neque enim, vbi sacer scriptor illud, quod voce paullo obscuriori primum expresserat, clariori deinceps effert, illum tautologias vitio laborare dici potest. Nec deessent, quae circa tentatam Schmidii conciliationem, qua per τὸν κόσμον humanum genus recens in integritate & iustitia conditum intelligi commode posse autumat, moneri possent. Sed nolo cum tanto viro vltius circa hoc negotium congregi, id saltem monens, omnium simplicissime per τὸν κόσμον indefinite Adami posteros, qui per πάντας ἀνθρώπους in sequentibus clarius exprimuntur, intelligi.

§. IX. Sed iam ad vocem εἰσῆλθε transeundum est. Huius vero emphasin B. Wellerus (o) adeo egregie enodat, vt, si illam solum adduxerimus, ea, quae sufficere possunt, nos de voce ista protulisse, censeamus. Εἰσῆλθεν, inquit ille, notat vel clanculariam ingressionem instar foris, vel irruptionem, Matth. VI. 6. te clam subducas, Matth. XII. 4. Act. XIX. 30. XX. 29. Ita clam peccatum irrepsit, & post cum violentia homines occupauit. Quae quidem ad primi hominis lapsum egregie admodum adcommodari possunt. Irrepsit certe peccatum, & cum peccato mors per clandestinas daemonum fraudes, occultasque eius technas, sed & tanto cum impetu

(n) Conf. Cocceius p. 277. qui eo fere inclinatur. (o) Apoc. III. (p) Epist. I. Comm. ad 1. h. p. 1.

petu postmodum in Adamum posterosque irrupit, vt  
 instar furis, immo latronis egisse, ceneri merito possit.  
 Animam siquidem, & in ea intellectum vera sapientia,  
 perfectaue creatoris rerumque creatarum cognitione,  
 voluntatem iustitia, & sanctitate, adpetitum sensitivum  
 exacta cum voluntate harmonia, corpus immortalitate,  
 vtrumque vero felicissimo, & omnibus, quae ab homi-  
 ne integro desiderari poterant, bonis refertissimo domici-  
 lio spoliauit, adeo vt de quouis homine secundum  
 eam, qua hodie nascitur, conditionem, considerato  
 pronunciare liceat: *Σὴ εἰ ὁ ταλαίπωρος, καὶ ἐλεεινός, καὶ  
 τυφλός, καὶ γυμνός.* (p) Quin non tantum omnibus,  
 quibus fulgentes DEO placere poteramus, bonis, nos  
 exiuit, sed & insuper τῶ ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἐσπιλωμένω χιτῶνι,  
 nos obuoluit, & adeo infensos & abominabiles coram  
 DEO sistit, vt, si eidem de nouo placere desideremus,  
 vestibus iustitiae Christi merito acquisitae, amicti, com-  
 parare necessum habeamus. *Χαριτοὶ γὰρ ἡμᾶς ἐν τῷ ἡγα-  
 πημένῳ.* (q) Tam elegantes nobis emphasis huius vocis  
 suppeditat meditationes, quibus profundius immergi,  
 arcti illi, quibus nos circumscripsimus, limites haud  
 permittunt. Id saltem addo, ex explicatione huius vocis  
 liquere, haud inepte vocem εἰσῆλθῆς de violento domi-  
 nio, quod fur vel tyrannus aliquis in bona & corpus al-  
 terius sibi adrogat, explicare posse.

S. X. καὶ διὰ τῆς ἀμαρτίας ὁ θάνατος scil. εἰσῆλ-  
 θεὶ εἰς τὸν κόσμον, pergit apostolus, & nos, cum eo, vo-  
 cem θάνατος cum ea, quae circa ἀμαρτίαν moneri po-  
 terant,

(p) Apoc. III. (q) Eph. I. 6.



terant, supra iam adduxerimus, paullo adcuratius consideraturi. Et initio quidem non praetermittendum est, peccatum & mortem indiuiso adeo nexu cohaerere, vt nec regnum peccati sine morte, nec mortis regnum sine peccato, in mundum venisse, recte adfirmet Coccejus. (r) Eapropter & ab apostolo *ὁ νόμος τῆς ἀμαρτίας καὶ τὸ θάνατος* coniungitur, (s) & alibi *τὸ νέκρον τῆς ἀμαρτίας ὁ θάνατος* expresse perhibetur. (t) Scilicet si ad historiam creationis a Moysse consignatam recurramus, in ea deprehendere licet, Deum O. M. primis nostris parentibus legem de non comedendo vitiae arboris fructu tulisse, addita severissima mortis, certo infecuturae, comminatione. (u) Vbi sane tum mandatum ipsum, tum clausulam poenalem legi subiunctam, protoplasti nostri perpetuo animo circumterre debuissent. Enimuero cum Eua diaboli sophismatibus callide excogitatis victa, & Adamus blanditiis muliebribus irretitus, turpiter latam a Deo migrarent legem, fructumque interdictae arboris non sine persuasione adipiscendae diuinæ sapientiae auide comederent, non poterat non ab ipso nefariae transgressionis momento, seuera illa comminatio effectum suum exserere, & mors tyrannicum sibi in Adamum, & qui ipso labente simul lapsi fuerant, posteros eius, dominium adrogare, vt adeo *διὰ τῆς ἀμαρτίας εἰς τὸν θάνατον τὸν θάνατον* ingressum esse, apostolus ex vero adserat. Quae omnia si adcuratori iudicii lance expendantur, haud obscurum amplius esse potest, quid per

D

τὸν

(r) in Comm. ad h. l. p. 273. (s) Rom. II. 2. (t) I. Cor. XV. 56. (u) Gen. II. 16. 17.

vobis *Sdvarov* apostolus intelligat, & quomodo illis, qui a  
 regio veritatis tramite hic aberrant, occurrendum sit.  
 Hugo Grotius (x) Socini rursus incedit cothurnis, prae-  
 fidenter admodum adserens, per *Sdvarov* virium im-  
 minutionem, causam lassitudinis, dolorum, & ex his  
 secuturae mortis intelligi. Ad quae recte reponit Ca-  
 louius, ipsam morte, seu mortalitatem, non solos pro-  
 dromos & anteambulones mortis, quales sunt lassitudo,  
 dolor, & alia infirmitatum humanarum genera, intelli-  
 gi debere, nec a proprietate vocis, cum nulla nos ur-  
 geat necessitas, hic discedendum esse; quamvis diffen-  
 dum haud sit, omnia illa, quae corporis mortem adde-  
 lerant, symptomata, a peccato & profunda naturae cor-  
 ruptione in corpus quoque transfusa, suam trahere ori-  
 ginem, adeoque commode sub voce *Sdvarov* includi  
 posse. Rectius proin Hugone Grotio, Wellerus, alii-  
 que, omne illud, quod DEVS Gen. II. 17. peccatis mi-  
 natus est, hic mortis nomine exprime adserunt, videlicet  
 mortem corporalem, seu naturae, mortem spiritualem,  
 seu gratiae, mortem perennem, seu gloriae, mortis de-  
 nique anteambulones, vt sunt morbi & calamitates om-  
 nnis generis. Quae omnia vt firmo satis nituntur ta-  
 lo; ita egregie insimul ostendunt, verba Gen. II. 17.  
 חַיִּים תִּחְיֶה אֲדָמָה non de sola temporali morte, vt quidem So-  
 cinianis placet, sed de omni mortis genere explicanda  
 esse. Paulus sane mortem, quam stipendium peccati  
 pronunciauerat, vitae aeternae directe opponit, & insi-  
 mul haud obscure innuit, non solam, quae corpori in-  
 fertur,

(x) ap. Calou. in Bibl. illustr. ad li. I.



fertur, mortem, sed aeternam quoque condemnationem, quam mortis termino exprimere in more sacris scriptoribus est positum, voce *θανάτου* indigitari. (y) Accedit & hoc, quod apostolus in subsequentibus capituli quinti versibus mortis terminum ita exponat, ut simul sub se comprehendat *κατάκριμα* quin imo *τῆ ζωῆς αἰώνιας* directe opposita sit, (z) ex quo manifestum euadit, illam, quae regno in vita aeterna opponitur, nullam aliam, nisi mortem aeternam, seu perennem gloriae priuationem esse posse. Ceterum & illud a nemine, qui scripturas N. T. paullo sollicitius perscrutatus est, negari potest, haud incommode mortem spiritualem, quo anima intima & suauissima cum DEO vnione, eiusque gratia spoliatur, voce *θανάτου* intelligi posse. Nonne enim, cum scriptura sacra omnes in statu corruptionis constitutos *νεκροὺς τοῖς παραπτώμασι, καὶ τοῖς ἁμαρτίαις*, (a) quin immo *ἀπὸ ἀλλοστερωμένων τῆς ζωῆς Θεοῦ* (b) pronunciat, euidenter satis declarat, per nefariam legis diuinae transgressionem nos calamitosam vitae spiritualis perpeffos iacturam, in mortem spiritualem penitus recidisse? Notum denique & illud est, omnes omnino calamitates, quomodocumque demum inferantur, ex filio scripturae a denominatione *τῆς θανάτου* haud omnino esse excludendas. Sane Pharaon damnum & calamitatem, quam a locustis perpeti iusto DEI iudicio cogebatur, expressis verbis *τῆς θανάτου* vocat. (c) Ex quibus omnibus haec tenus adductis satis superque elucescit, quid per

(y) Rom. VI. 23. (z) v. 16. 17. 18. 21. (a) Eph II. 1. 5. (b) Eph. IV. 18. (c) Exod. X. 17.

per τὸν Ἰάδατον intellectum velit apostolus noster, videlicet omne omnino mortis genus, & primario quidem reatum istius, observante Schmidio. Ceterum adsero Paullino non repugnat autor libri sapientiae, per diaboli invidiam mortem in mundum ingressum esse, adserens. (d) Omnino enim per diabolum, protoplastis nostris felicissimum, in quem collocati erant, statim invidentem, ad peccatum eos seducendo atque ita, ut mortem sibi accelerarent, procurando, per peccatum vero instar poenae, cuius reatus ex transgressione legis non poterat non oriri, mors in mundum est ingressa. Conf. omnino Schmidius eleganter de voce Ἰάδατον differens. (e)

§. XI. Quod iam addit apostolus, καὶ ἵστας εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ Ἰάδατον διέλαθεν, id a superiori pendere, eiusque probationem esse autumat Cocceius. Scilicet cum in antecedentibus apostolus adseruisset, mortem in mundum ingressam, violentum in Adami posteros sibi adrogasse imperium, id iam ex eo probare adnititur, quod mors reapse ad omnes omnino homines pertransierit, & tyrannicam potestatem exercuerit, quod sane sine ullo iure aut titulo facere haud potuisset. Quae omnia uti a Cocceio haud male adferuntur; ita illud saltem in praesenti observandum, illos, qui saeculo mortis dominio substant, omnes homines ab apostolo designari. Quo ipso nullum sexum, nullum statum, nullam & ne infantilem quidem aetatem excipi, in propositulo est. Quinimo haud obscurum esse potest, πάντας ἀνθρώπους omnes omnino Adami posteros esse, qui per car-

(d) Sap. II. 24. (e) in Comm. ad h. l. p. 360.

carnalem generationem ab ipso descendunt, & ordinaria naturae lege, ab illo, velut furculi a stipite, primam trahunt originem. Horum tamen numero omnino eximendum esse Christum & Scriptura sacra alibi expresse dicit, & quilibet ad textum Paulinum oculos paullo accuratius retorquens, facili negotio perspicit. Ad omnes quippe homines, qui in Adamo peccarunt, simulque per carnalem generationem istud peccatum in se propagatum agnoscere coguntur, mors pertransisse dicitur. Enimvero Christus neque in Adamo peccasse dici potest, cum alias *ἁμαρτωλός*, *ἀκαθάρτος*, *ἀμίαντος*, *κεχωρισμένος* *ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν* ab apostolo appellari laud potuisset, (f) neque per natiuitatem peccati istius particeps reddi potuit, cum non ordinaria, & in prima creatione a DEO constituta via, sed per miraculosam Spiritus S. *ἐπέλευσιν* a Maria prognatus sit, adeoque *τὸ κατὰ σάρκα* quidem *ἐκ πατέρων* esse dici possit, sed hoc saltem respectu, quatenus natura eius est natura vera humana adsumpta ex Maria virgine, quae a patribus suum accessere genus poterat. Et licet Christus mortem degustauerit *θανάτω βίαις σαρκί*, erat tamen mors ista tantum vicaria *δικαίη ὑπὲρ ἀδικῶν*, quam non ex necessitate naturae, utpote quae peccati omnis expers, ab eius quoque poena non poterat non prorsus esse immunis, sed ex libero voluntatis motu, & aeterno cum DEO patre pacto, quo humani generis redemptionem in se susceperat, subibat. Hinc seruator ipsemet se vitam ponere *ἀπ' ἑαυτοῦ*, eamque libere resumere, & *ταύτην τὴν ἐν τολῆν*

D 3

τολήν

(f) Ebr. VII. 26.

τολῆν a patre se accepisse, expressis testatur verbis (g). Ceterum quod ad vocem διήλασεν attinet, mauult illam Erasinus (h) peruadendi, quam, vti communiter alias solet, pertranscendi significatum exprimere, cum prior vocis evolutio suis prematur ambiguitatibus, posterior emphasin verbi huius egregie declarat. Cum enim de iis, quae quodam velut contagio ad nos transeunt; vocem διήλασεν adhiberi haud infrequens sit, haud in eleganter hinc elici potest, mortem pestiferi instar contagii totius humanae naturae essentiam intime peruasisse. & tanto penetrasse impetu, vt tota corporis nostri structura ruinosa admodum facta, in puluerem terramque redire necessum habeat. Quibus tamen pertranscendi, significatus, adridet, ii emphasin ab hoste quodam, qui vi reclusis, fractisque omnibus repagulis per totam grassatur urbem, vel ab acutissimo quodam gladio, qui totum corpus acie sua ita penetrat, vt lethale eidem infligat vulnus, arcessunt, cum primis cum idem verbum vbi de metaphorica gladii transfossione, a Maria expectanda, sermo est, adhibitum deprehendatur. (i) Vtraque vocis enodatio haud inuenusta est, & insignem menti apostoli adfundit lucem. Et prior quidem, quem Erasimus voci isti tribuit, significatus egregie ostendit, mortem vna cum peccato per carnalem generationem in omnes Adami posteros propagatam esse; posterior vero id, quod supra iam adseruimus, luculenter admodum commonstrat, vocem διήλασεν optime de tyrannica domini

---

(g) Ioh. X. 18. (h) in Bibl. Crit. ad h. l. (i) Luc. II. 35. Add. Schmid. l. c. p. 361.

minii executione, explicari posse. Ut enim hostis vel tyrannus oppugnatam a se urbem ingrediens eo ipso ab solutae potestatis titulum sibi adrogat, deinceps vero totam pertransiens funestam saepenumero stragem edit, & solum largo civium innocentium sanguine conspersum, ascendit; ita mors quoque postquam quemdam dominii titulum per divinae legis transgressionem adepta fuerat, iam totum humanum genus velut pertransiens, illud misere iugulando tyrannicae potestatis documenta edit quam plurima, ut hinc merito ab apostolo mors *ἐχάρθη ἐχθρὸς* in extremo demum iudicio destruendus, dicatur. (k)

§. XII. Sed iam ad vltima versus duodecima verba, *ἐφ' ᾧ πάντες ἡμᾶς* delabimur. Vbi in eo quidem plurimi interpretum consentiunt, τὸ ἐφ' ᾧ ad *ἀνθρώπων* seu Adamum referri debere; de eo vero non omnes eandem fouent sententiam, quomodo commode illud transferri possit, ut scopo & intentioni apostoli plene satisfiat. Nonnulli *ἐφ' ᾧ* reddunt *in quo*, cum omnes homines utpote in Adami lumbis existentes in eo, tanquam communi stipite peccauerint. Et hanc quidem translationem B. Hulfemannus (l) sequentibus confirmat rationibus, quod oppositio inter Adamum & Christum id exigat, quod talis peccati species intelligatur, quae circa legem Mosaicam reuelatam non aestimata fuit pro peccato originali intelligendum, vi dictorum Rom. I. 32. II. 14. VII. 7. & 9. quod peccatum expressè  
distinguitur.

(k) I. Cor. XV. 26. (l) apud Calou. in Bibl. illustr. ad h. l.

distinguat a transgressione actuali, de qua apóstolus v. 14 verba faciat. Addit insuper & illud a profanis autoribus saepissime ἐπι pro ἐν usurpari, idque Hesiodi dicto: Μέτρον δ' ἐπι πάντων ἀρίστον se euicisse existimat. Et in his quidem meretur calculum Calouii. (m) Io. Cocceius (n) tamen, licet vero sensui, si τὸ ἐφ' ὧ reddatur in quo, nihil decedere lubens fateatur, existimat tamen huic significatui magis τὸ ἐν quam τὸ ἐπι quadrare. Hinc mauult τὸ ἐφ' ὧ explicare cum quo h. e. quo peccante omnes peccauerunt. Hugo Grotius (o) aliam adlaturus explicationem τὸ ἐφ' ὧ optime per quem transferri posse censet. Illam enim significationem τὸ ἐπι in sacris quoque literis obtinere, ex Luc. V. 5. Act. III. 16. I. Cor. II. 11. Ebr. IX. 17. demonstrat. Cuius quidem sententiam vti haud omnino improbat Cocceius; (p) ita istud saltem monet, ex duobus prioribus locis nihil omnino praesidii Grotiano adserto adcedere, quamuis locum I. Cor. II. 11. aliquod explicationi suae addere pondus fateatur. Dissentit ab his omnibus Schomerus, (q) τὸ ἐφ' ὧ reddens eo quod, tum quod eundem Phil. III. 12. gerat significatum, tum quod nullo hactenus idoneo exemplo probari potuerit, τὸ ἐπι quamdam denotare inexistentiam. Tam quaenam ex diuersis istis explicationibus eligenda sit, omnino videtur esse dubium. Omnes sane ita comparatae sunt, vt tuto admitti possint, & scopo Paullino haud aduersentur. Vt tamen verum fatear, mihi

(m) l. c. (n) in Comm. ad h. l. p. 274. (o) ap. Calou. in Bibl. illustr. ad h. l. (p) l. c. p. 274. (q) in Exe- gel. epist. ad Rom. p. 22.

mibi semper perplacuit sententia Schomeri, aliorum-  
 que, qui τὸ ἐφ' ὧ ἐο quod, reddendum esse autumant.  
 Ex accuratori siquidem versus inspectione manifestum  
 esse arbitror, apostolum rationem quamdam, qua mors  
 in omnes omnino homines pertransiit, proferre voluis-  
 se. Quidquid tamen eius rei sit, ego nemini litem de  
 sua explicatione mouebo. Quocumque enim modo τὸ  
 ἐφ' ὧ transferas, scopus apostoli saluus perstat atque il-  
 laesus. Quin immo si Schomeri sententiae suffrageris,  
 prona tamen consequentia contra Socinianos probare  
 poteris, Adamo peccante omnes eius simul peccasse po-  
 steros. Ceterum dum Hugo Grotius (r) vocem *διὰ τὸ*  
 metonymice de poenae, peccato promeritae, perpeffione  
 explicat, eosque per metalepsin peccati reos dici posse  
 adferit, qui malum aliquod sine culpa ferunt, haud im-  
 merito censuram Calouii incurrit. Cum enim aposto-  
 lus distincte de peccato & morte, culpa & poena loqua-  
 tur, quis quaeso temerario ausu ista cum Grotio confun-  
 dere aulit? sed & metalepsis Grotiana in iustitiam diui-  
 nam plane est iniuria, vt pote a qua prorsus alienum  
 est, infligere poenam iis, qui nullius culpae insimulari  
 iure possunt. Enimvero quomodo Adamo peccante om-  
 nes peccasse dicantur, de eo paucis dispiciendum. Et  
 hic quidem ante omnia fatendum est, non posse istud  
 melius, quam ex doctrina de foederibus diuinis, cuius  
 primas Io. Cocceius duxit lineas, aliis postmodum Theo-  
 logis Batavis, vt Burmanno, Braunio, Witsio, eandem  
 magis magisque perpolitibus, explicari, & omnes,  
 E quae

(r) apud Calou. in Bibl. illustr. ad h. 1.

quae suboriri forte possunt, difficultates solui. Scilicet ante omnia tenendum est, DEO in Paradiso primis parentibus legem adcuratissime seruandam iniungente, addita promissione vitae, si eam seruarent, & comminatione mortis, si eam transgredirentur, spectatos esse protoplastos nostros tamquam repraesentantes totum genus humanum, atque adeo Deum tum egisse tam cum iis, qui stabant coram se, quam qui nondum erant secum, ut in negotio itidem foederali loquitur Moyses. (s) Id vero ita sese habuisse patet a posteriori, quia transgressio protoplastorum reputata est transgressio omnium posteriorum, & quia per vnus hominis inobedientiam multi constituti sunt peccatores, ut apostolus loquitur. (t) Vnus itaque stetit pro omnibus in peccato, sicut vnus stetit pro omnibus in retentione imaginis concreatae, si non peccasset. Clarius: sicut persistente in integritate primo homine omnes eius posterii perstitissent, omnes cum imagine Dei sibi connaturali ex eo prognati fuissent; ita peccante vno, omnes ab eo descendentes, non nisi peccato originali contaminati nascuntur. *οἱς ἔχουσιν, τοῖς τοῖς ἡμῶν οἱ Χριστοῖς.* (u) Et sane nisi ita res comparata fuisset, Deus nec debitum implendae legis a quoquam Adami posteriorum reposcere, nec violatorem legis, aeternae damnationi addicere iure potuisset. Quin immo Christus neuiquam opus habuisset pro omnibus omnino hominibus legem actiua obedientia implere, passiuam vero mortem pro iisdem subire, nisi vniuersum genus

(s) Deut. XXIX, 14, 15. (t) Rom. V, 19. (u) I. Cor. XV, 48.



genus humanum in Adamo reatum & peccati & mortis simul contraxisset. Quae omnia licet ex doctrina de foederibus diuinis egregie deduci possint, id tamen haud praetermittendum esse videtur, caute omnino in hac doctrina versandum, nec omnia, quae in politicorum scholis de pactis ac foederibus tradi solent, promiscue huc adplicanda esse. Erat quippe pactum istud legale non paris cum pari, sed creatoris cum creatura, augustissimi Domini cum seruo indignissimo, in cuius arbitrio situm haud erat, conditionem pro lubitu acceptare vel respuere. Deus hic tamquam supremus Dominus non ex plenitudine potestatis νομοθετικῆς agit, sed, vt cum apostolo loquamur, ex plus quam regia benignitate ἐπιεργασίας. (x) Plura iam non addo. Sufficiat per summa iuisse rerum capita, eaque adduxisse, quae verbis Paulinis ἐφ' ὧ πάντες ἡμαρτον, aliquam adfundere lucem videbantur. Quod si quis totam de foederibus diuinis doctrinam fusius explanatam legere cupit, adeat auctores supra iam citatos, cum primis vero summe Reuerendi Domini Praesidis exercitationem de *Praerogatiuis Fidelium N. T. prae Fidelibus V. T.*

§. XIII. Absoluta versus duodecimi ἐξηγήσει vt ad ea, quae in duobus versibus sequentibus diligentius merentur scrutiny, progrediamur, nostrarum partium esse ducimus. Vbi tamen, antequam ad ipsam vocum ac phrasium evolutionem descendam, de connexionem omnino quaedam praemonenda sunt. Enimuero rursus hic interpretes in varias scindi partes deprehendo,

(x) Ebr. IIX. 6.

quorum tamen sententias, ne tractatio nostra nimium excreseat, recensere superfedeo, cum primis cum isto illis ordine adduxerit Sebast. Schmidius. (y) Nostram potius hac dere exponere sententiam, & ea, quae scopum apostoli propius ferire videntur, protinus subiungere liceat. Scilicet si totam tractationis Paullinae seriem paullo attentius perlustremus, videtur omnino apostolus obiectionem quamdam, quae ex vltimis versus duodecimi verbis enasci poterat, praeoccupare voluisse. Omnes omnino homines in Adamo tamquam communi totius generis humani stirpe peccasse, in praecedentibus adseruerat apostolus. Enimuero cuncta omne peccatum, definiente Ioanne, sit *ἀνομία*, adeoque perpetuam ad legem, quam nefando quis transgrediatur ausu, inuoluat *ἁμαρτία*, dubium alicui haud difficulter subnasci poterat, quo iure omnes omnino peccasse censeantur, nulla, quam violare potuerint, lege existente, vtpote Mosis ministerio demum publicata. Hunc scrupulum vt remoueat Paullus, in eo iam eius occupatur opera. Et primum quidem contendit, vel in isto temporis intervallo, quo lex publice, ac inter *διαταγὰς ἀγγέλων* nondum promulgata fuit, peccatum originale in mundo fuisse. Addit vero deinceps & istud, prauam istam, cuius per Adamum participes facti sumus, concupiscentiam, ab hominibus corruptae naturae iudicio stantibus, lege exterius publicata nondum vigente, pro peccato quidem non fuisse reputatam; in foro poli tamen veri nominis peccatum omnino permanuisse. Et id quidem ex eo planum fa-

cere

(y) in Comm. ad h. l. p. 362.

cere ad laborat, quod mors eiusque reatus in omnes Adami  
 posteros plenum exercuerit dominium. Quod sane utpote  
 alienum a diuina iustitia fieri haud potuisset, si originale  
 id peccatum veri nominis peccatum non fuisset, cum,  
 ubi nullum datur peccatum, ibi nec mors dominari, ac  
 imperij sui proferre possit limites. His omnibus deni-  
 que subiungit apostolus simpliciter protales suae apo-  
 dosin, videlicet in his omnibus Adamum typum Christi  
 fuisse, ita quidem, ut sicut peccatum & mors in omnes  
 homines ab Adamo pertransiit, ita a Christo iustitia, sa-  
 lus, ac vita aeterna in eos diffundatur. Haec nostras  
 de connexionione horum versuum sententiae ita comparata  
 est, ut & scopo apostoli nullam inferat vitam, & infirmit  
 cum doctrina a Paulo in eadem epistola proposita, egre-  
 gie concordet. Nonne enim dum concupiscentiam pra-  
 nam se citra legis interdicitum pro peccato haud reputas-  
 se adserit, idem fere pronunciat, quod in versu decimo  
 tertio legimus: *ἡ ἀνομία ἡ ἐπιθυμία ἡ οὐκ ὄντων ἡ νόμος* ?  
 sed & illud in superliquere arbitror; si quis connexionem  
 istam animo oculisque diligentem obseruari passus fue-  
 rit, reliqua plana satis, atque expedita fore, ut adeo in  
 his omnibus breuiores nos ducere possent lineas, exsti-  
 memus. *ἡ ἀνομία ἡ ἐπιθυμία ἡ οὐκ ὄντων ἡ νόμος*  
 §. XIV. Explanabimus tamen ea, quae momen-  
 tum aliquod trahere videntur, sed in idem breuiter stri-  
 ctiusque. *ἡ ἀνομία ἡ ἐπιθυμία ἡ οὐκ ὄντων ἡ νόμος*, inquit a-  
 postolus, ubi quidem per *ἡ ἀνομία ἡ ἐπιθυμία ἡ οὐκ ὄντων ἡ νόμος* istud temporis  
 interuallum, quod solennem Mosaicae legis promulga-  
 tionem antecessit, quod que, uti Paulus ipse versu sequen-  
 ti exponit, *ἀπὸ Ἀδάμ μέχρι Μωϋσέως* se extendit, designa-  
 ri in

ri in propatulo est. Sed & illud ab interpretibus Wel-  
 lero, Schönero, (z) aliisque, haud male obseruatur,  
 particulam  $\alpha\chi\rho\iota$  hoc loco non esse exelusiua, sed con-  
 tinuatiua, & antecedens ita ponere, vt consequens ta-  
 men non excludat. Neque enim haec apostoli mens est,  
 peccatum ante legem quidem, non vero post legem a  
 Mose publicatam in mundo fuisse, sed & ante, & post  
 legem, peccatum in hominibus vires suas exeruisse,  
 particula hac designare voluit. Ceterum per  $\nu\omicron\mu\omicron\nu$  legendi  
 scriptam, & Moses ministerio promulgatam intelli-  
 gi, eum haud amplius latere potest, qui in tota pene episto-  
 la ad Romanos vocem istam hunc gerere significatum,  
 obseruauit. Origenes equidem & Augustinus apud E-  
 rasinum (a) per  $\nu\omicron\mu\omicron\nu$  finem legis Mosaeicae, Christum,  
 intelligere malunt. Enimuero nullibi vox ista hunc in-  
 duere solet significatum. Christum quidem ob exactis-  
 simam legis impletionem  $\tau\acute{\epsilon}\lambda\omicron\varsigma \nu\omicron\mu\omicron\nu$  ab apostolo vocari  
 constat, voce  $\nu\omicron\mu\omicron\nu$  autem illam designari, nullibi legi-  
 mus.  $\Delta\mu\alpha\rho\tau\acute{\iota}\alpha$  quid sit, ex accuratiori antecedentium &  
 consequentium inspectione, ad fatum elucescit. Malunt  
 equidem nonnulli non originale tantum peccatum, sed  
 & fructus & putrida hoc arbore propullulantes, peccata  
 quaeuis actualia intelligere. At rectius a Sebastiano  
 Schmidio, (b) aliisque, solum peccatum originale seu  
 profundissimam naturae humanae corruptionem ab A-  
 damo in omnes omnino homines derivatam ab aposto-  
 lo voce ista indicari statuitur. Cum enim in versu prae-

(z) in Exegesi p. 23. (a) in Bibl. Crit. ad h. l. (b) l. c.  
 p. 363.

cedenti de eo sermonem fecerit Paulus; quibus facili  
 perspicit opera, optime in eodem significatu hic quoque  
 eam sumi. Sed & cum subsequentibus, expositio ista  
 amice conspirat. Cum enim in iisdem de eo peccati gene-  
 re loquatur Paulus, quod ob legis exterioris defectum  
 in peccatorum numerum ab hominibus non fuit rela-  
 tum, quis non videt, de sola prava, quam ab Adamo  
 haereditario quasi iure accepimus, concupiscentia, id in-  
 telligi posse, quam peccat inōsam esse, Paulus citra inter-  
 dictum legis, cognoscere haud potuit. Vox ἡρώμας in  
 propria & famosa significatione hic relinquenda est, ut  
 omnes in mundo viuentes homines denotet. Nam &  
 ante Moysen omnes, quotquot in lucem editi fuerunt,  
 homines, foedam peccati originalis labem ex utero se-  
 cum adtulerunt, eandemque in varii generis peccata,  
 actualia prorumpentem senserunt. Sane dum scriptu-  
 ra sacra homines antediluvianos carnem, hoc est, pec-  
 cato originali infectos fuisse, quin signentum cordis hu-  
 mani inde a pueritia tantummodo malum fuisse, adserit,  
 luculenter satis indicat, profundissimam istam naturae  
 corruptionem, omnium ante legis Mosaeicae promul-  
 gationem viventium pectoribus, firmiter insedisse,  
 & non nisi malos fructus peccata scilicet actualia protru-  
 disse.

S. XV. Pergit apostolus: ἀμαρτία δὲ ἐκ ἐπιλογέσται  
 ἢ ὄναρ νέμα. Vbi, cum de reliquis vocibus quaedam  
 iam adduxerimus, de ἐπιλογέσται nonnulla erunt adferen-  
 da. Io. Cocceius (c) istam non imputationem peccati  
 ita

(c) in Comm. ad h. l. p. 278.

ita explicat, vt dicat, Deum nihil fidelibus imposuisse faciendum, tamquam ad satisfaciendum pro peccato, & id expiandum, ceterosque in silentio simpliciter tolerasse, & iis benefecisse. Verum haec Coëcetanam *πράξιν*, qua vir doctissimus praeclaris operibus haud leuem adspersit maculam; manifesto redolent, & hinc tuto a nobis reiiciuntur. Nostrates theologo communiter istam imputationem accipiunt pro aestimatione & opinione peccantis, qui lege expressa destitutus non opinetur peccatum esse, cum non nisi ex lege agnitio peccatorum proueniat. Aliam tamen hac de re fouet sententiam Sebastian. Schmidius, (d) quae cum paullo prolixius ab eodem exposita sit, & a nobis breuitati studentibus, si accurate eam recensere velimus, in breuem summam comode contrahi nequeat, in eleganti eius commentario deducta legi potest. Quae nobis hac de re mens sedeat, ex iis, quae supra de connexionione adduximus, manifestum satis esse potest. Videtur omnino apostolus istis verbis *ἐκ ἐλλογῆται* indicare voluisse, ab hominibus in profundissima corruptionis statu versantibus, & lumen quidem naturae, sed Cimneriis quasi obiectum tenebris possidentibus, peccatum originale pro peccato non fuisse reputatum, nulla, quae istud tamquam peccaminosum vetet, lege existente. Haec sententia & exemplo Paulli *τὴν ἐπιθυμίαν*, nisi lex eam interdicens adfuisset, pro peccato non agnoscentis, egregie confirmatur, & insuper connexionem cum subsequētib; reddit admodum facilem. In his enim apostolus peccatum originale, vtut

ab ho.

(d) l. c. p. 364. 365.

ab hominibus ob summam eorum corruptionem pro peccato hanc fuerit habitum, in foro poli tamen veri peccati indolem non exuisse, ex eo probat, quod mors tamquam peccati istius consequens & poena, in omnes omnino homines, qui actuale Adami peccatum non commiserunt, suum exercuerit dominium, sequitur Adamiticum istud peccatum omnibus eius posteris imputatum, & ex hoc profluens peccatum originis, veri nominis peccatum esse, cum ubi poena executioni traditur, necessario peccatum adesse, concipi debeat. Sed cum prius firmo nitatur talo, & a nemine in dubium vocari queat, nec posterius prona consequentia e priori deductum, ullo iure inficiandum erit.

§. XVI. Accedamus iam ad ipsum verbum decimum quartum propius; & ea, quae quamdam merentur illustrationem, breuibus expediamus. *Αλλ' ο θάνατος ἐβασιλεύσεν*, inquit apostolus. Vbi ex iis, quae in proximè antecedentibus monuimus, abunde elucescit, particulam *ἀλλὰ* in nativa & propria significatione, quae *sed* denotare solet, relinquendam esse. Sed & quid per *θάνατον* intelligendum sit, ex iis, quae supra de voce hac commentati sumus, haud difficulter colligi potest. Videntur quidem interpretes vocem istam in praesenti loco de morte corporali intelligere. Sed recte obseruat Sebast. Schmidius (e), non solam, quae corpori infertur, mortem, sed insimul mortem aeternam, cum omnibus, quae nomine mortis comprehenduntur, malis, designari. Quod quidem si firmo niti debet robore, tum decimum

F

mum

(e) in Comm. ad h. l. p. 367.

mum rite vox ἀβασίλευσεν explicanda erit. Id quidem Iubentes Welleri, & Estio concedimus, tyrannidem mortis, quam in omnes homines toto, quod legem Mosaicam antecessit, tempore, libere exercuerit, voce ista describi. Enimvero & istud haud praetermitti debet, quod Schmidius (f) egregie adnotat, id praecipue ab apostolo intendi, quod mors omnes omnino homines in inevitabili potestate habuerit, illisque omnes vires defuerint, quibus tyrannicum eius dominium quocumque modo eludere poterint, adeoque talis modi designari dominium, cui homines non tam per tyrannidem, quam ex stricto iure divino subiiciuntur. Egregie atque perbelle haec de eruditissimo Schmidio adlata esse, quibus facile concedet. Cum enim de piis, qui ante mosaico vixerunt tempore, dici nequeat, quod mors corporalis atque aeterna dominium suum in eos exercuerit, a qua vi satisfactionis Christi ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις praestandae, & verae, qua illam sibi applicarunt, fidei plenam, consecuti fuerant libertatem, adeo quidem, ut ipsa mors corporalis non mortis amplius, sed somni placidi rationem habuerit, id tamen de omnibus & piis & impiis adferi potest, eos dominio mortis subiectos fuisse vi iustitiae vindicativae, severam mortis comminationem in Adamo & posteris executioni tradentis, pios vero vi misericordiae diuinae, meritum Christi, eiusque applicationem fiducialem gratiosae intuentis, potestate mortis exemptos esse; impios contra ob praefractam cordis contumaciam & finalem meriti Christi reiectionem, tyran-

---

(f) l. c. p. 367.



tyrannico mortis dominio obnoxios mansisse, adeo vt mors illorum corporalis sit praegustus aeternae mortis, cui quoad animam, in ipsa eius a corpore separatione, quoad corpus vero, in extremo iudicio plene ac plane sunt subiiciendi.

§. XVII. Quos nam per τὸς μὴ ἀμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιωματι παραβάσεως Ἀδάμ designatos velit apostolus, iam nostrae erit considerationis. Tot hic explanationes reperiri, quod dantur interpretes, ex vero adserit Wellerus. Nec tamen animus est, omnes hac de re recensere sententias, quarum haud exiguum adduxit numerum Sebast. Schmidius. (g) Potiores saltem in medium adferre placet. Hugo Grotius (h) de eo peccandi genere apostolum loqui autumat, quod par censei possit peccato Adamitico, quodque in nefaria foederis cum DEO initi rescissione consistit, vt ex Of. XVII. 7. patet. Hinc per eos, qui non peccarunt ἐπὶ τῷ ὁμοιωματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ, pios, qui tempore ante-Mosaico vixerunt, in pacto cum DEO inito persisterant, veluti Abelen, Abrahamum, Iacobum, Iosephum, aliosque designari contendit. Abram. Calouius (i) per peccatum transgressioni Adamiticae simile, quodcumque ex proaeresi, & deliberato voluntatis consilio perpetratum peccatum intelligit, dicitque innuere apostolum, mortem in eos quoque, qui nullum ex proaeresi commiserunt peccatum, utpote in embryones in vtero extinctos, & in infantes recens natos, dominium exercuisse. Cum Calouio

F 2

(g) in Comm. ad h. l. d. 368, 369. (h) ap. Calou. in Bibl. illustr. ad h. l. (i) l. c.

Iouio Io. Cocceius (k) amice conspirat, firmissime sibi persuadens per τὰς μὴ ἀμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ infantēs & in & ante natiuitatem mortuos, designari, cum argumentum ab illis ductum sit efficacissimum, ad ostendendum, reatum ab Adamo contractum. Rectius tamen his omnibus meo qualicumque iudicio mentem apostoli adsequuntur, qui omnes Adami posteros hic ab apostolo indicari existimant. In horum numero sunt Sebast. Schmidius (l) & Hammondus. (m) Omnes sane Adamigenae in similitudine transgressionis Adami non peccasse dici possunt, quia peculiare istud comesti fructus illiciti peccatum haud admiserunt, atque ita rem explicante Schmidio, libere ex plena proaeresi, & cum pleno arbitrio naturae adhuc incorruptae, aut saltem a dominio peccati liberae, expressum & satis intellectum DEI mandatum, non peccarunt. In hac sententia me egregie confirmat vox παραβάσεως ab apostolo adhibita, quae non nisi de actuali transgressione Adami, qua libero abusus arbitrio, & pleno voluntatis consensu arboris veritae fructum ab Eua decerptum auide degustauit, intelligi potest. Iam vero de nullo eorum, qui ab Adamo per carnalem generationem descendunt, dici potest, quod peccatum transgressioni Adami prorsus simile commiserit. Quod cum a nullo sanae mentis homine negari queat, & id tamen insimul verum sit, summam naturae corruptionem, & cum ea mortem in omnes Adami posteros deriuari, euidenter satis colligitur,

(k) l. b, p. 277. (l) in Comm. ad h. l. p. 369. (m) in Adnotat. ad h. l.

gitur, omnibus omnino hominibus peccatum Adami imputatum esse, seu omnes in Adamo peccasse. Et id est, quod Paullus remouendo obiectionem ex vltimis versus duodecimi verbis subortam, statuminare intendit, ita tamen, vt implicitam subnectat ἀπόδειξιν, & in his omnibus Adamum typum Christi fuisse, addat.

§. XIX. Vltima igitur diēti nostri verba, ὡς ἐστὶ τὸ πρῶτον τὸ μέλλον, non sine breui commentatione dimittenda sunt. Vbi quidem & vocem Adam subintelligi debere, & per τὸν μέλλοντα Ἀδὰμ Christum, qui ἐσχατὸν Ἀδὰμ ab apostolo quoque adpellatur, designari in propositum est, & ab omnibus, quotquot euoluere licuit, interpretibus conceditur. Ex quo id simul colligitur, apostolo dum vocem μέλλοντος adhibet sermonem esse non de eo, qui tempore Paulli adhuc futurus erat, sed qui tempore Adami, quin toto V. T. intervallo, tamquam venturus expectabatur. Haud infrequens enim est, vocem istam talis modi significatum gerere, & tempora priora respicere, quod vel ex solo loco Col. II. 17. abunde liquet. Quae omnia cum extra controuersiae aleam posita sint, id tamen primo intuitu haud adeo euidens est, quomodo Adamus in peccato suo typus Christi dici possit. Videtur scilicet, si Adamus Christi fuit, id inde sequi, quod Adamum oportuerit peccare, vt typus Christi fieret, cum omnes typi a DEO constituentur. Eo sane redit sententia Hugonis Grotii (n) praesidenter adferentis, mortem ex lege naturae secutum esse, quam DEUS facile impedire potuisset, nisi Adamum typum Christi esse voluis-

voluisset. Atrecte Calouius ad haec regerit, DEVM  
 nec peccatum permisisse, nec mortem immisisse, vt Adam  
 typus Christi confitueretur, sed DEVM, quia primus ho-  
 mo peccatum perpetraturus, & mortem promeriturus  
 erat, alterum Adamum, nempe Christum, promississe.  
 His deinceps subiungit, Adamum non esse talem Christi  
 typum, quales typi ac figurae sunt a DEO, in V. T. or-  
 dinatae, sed similitudinem tantum, & comparisonem.  
 quandam, eandemque magis dissimilium, quam simi-  
 lium inter Adamum primum & secundum intercedere,  
 ita quidem vt similis vtrobique propagandi deprehenda-  
 tur ratio, sed quae ad contrarios plane effectus se exten-  
 dat. Quae omnia a Calouio, aliisque interpretibus ad-  
 lata, si praesupponamus, & infimul implicitam prota-  
 feos apostolicae *ἀπόδοσις* exhiberi statuamus, tum & du-  
 bium illud, quod ex voce *τύπος* subnasci poterat, in au-  
 ras abibit, & quales inter Adamum primum & secundum  
 intercedat conuenientia, facili negotio declarari poterit.  
 Momenta autem comparationis praecipua haec sunt.  
 Per primum Adamum personam totius generis humani  
 sustinentem, peccatum in omnes omnino homines per-  
 transit, ita quidem vt iis imputatum fuerit; per secun-  
 dum Adamum totius mundi peccata portantem, iustitia  
 & obedientia eius perfectissima ad omnes omnino homi-  
 nes deriuatur, adeo quidem, vt sicuti Christus peccatum  
 h. e. peccator factus est pro hominibus scil. per imputatio-  
 nem, ita illi *ἐν ἀυτῷ* iustitia efficiantur. II. Cor. V. 21.  
 Per primum Adamum mors etiam in eos, qui velut  
 Adam in propria persona actuale peccatum haud perpe-  
 trarunt, suum exercuit dominium; per secundum Ada-  
 mum



mum etiam iis, qui in propria persona, vt Christus legem non impleuerunt, nec peccati poenam scilicet mortem subierunt, & sic omni *ἀποιώματι τῆς δικαιοσύνης Χριστῶ* destituantur, vita & spiritualis & aeterna obtigit, adeo vt ii, qui τὴν *δόξαν τῆς δικαιοσύνης Χριστῶ* accipiunt, sibi que adplicant, duce & auspice Christo *ἀρχηγῶ τῆς ζωῆς* ipsi dominantur morti, & non nisi perennem salutem, hic τῆ *ἐπιδοί*, ibi τῶ *πράγματι* possideant. Sed sectioni exegeticae finem imponens ad dogmaticam me confero.

## SECTIO II. DOGMATICA.

### S. I.

**D**Vm sectionem dogmaticam ordinis supra indicati memores tractare adgredimur, id praemonemus, nos non omnia, quae ex textu Paullino prona deduci possunt consequentia, sed potiora ac praecipua fidei dogmata, nec omnia, quae de iis dici possunt, sed quae dici debent, & sufficientem publicae ventilationi subministrare possunt materiam, in medium proferre constituisse. Est igitur DOGMA PRIMVM: peccatum ab vno homine ad omnes pertransiit, sicut omnes homines ab vno suam trahunt originem. Isaaco Peirerio, Gallo, thesin hanc directe oppositam esse, quibus facile perspicit. Ille enim anno 1655. Exercitationem de Prae-Adamitis, suppresso licet nomine edidit, in qua Adamum & Euam non primos fuisse homines, sed plures alios infinitis seculis priores illis existuisse, euincere cona-

conatus est. Qua quidem hypothefi an vlla absurdior ab homine Christiano excogitari potuerit, ego quidem iure ambigo. Sane fi quis systema ipfius, vti vocat, prae-Adamiticum paullo adcuratori mentis iudicio perlustrare voluerit, fabulas fabulis cumulari, veterumque Ethnicorum figmenta de hominibus e terra instar fungorum enatis, de mundi aeternitate ab aliis iam pridem destructa (a), aliaque huius generis commenta, ab eodem, vt fabellae suae quamdam veritatis speciem conciliet, in subsidium aduocari, euidenter deprehendet. Quod, si non est cum ratione insanire, quid tandem fit, me nescire lubens profiteor. Sacrarum litterarum auctoritate si profanum vrgeas hominem, nunc ad commune Bibliomastigum se recipit refugium, Scripturam sacram errorum arguendo, nunc suis illam placitis attemperare adlaborat, & vbiuis prae-Adamitis in eadem sese inuisse gloriatur. Quo ipso & quam exiguum sacris litteris statuerit pretium, & quo animo ad earum lectionem accesserit, manifeste satis prodidit. Ea profecto, quae ex Scriptura sacra depromit, vt prae-Adamitis vitam atque existentiam, quam nullam habent, largiatur, adeo ieiuna, contorta, atque infirma sunt, vt cordatioribus tum sim moueant, atque grauedinem. Quamuis igitur absurda Peirerii fabella sola recensione se ipsam refuter, cum tamen in textu Paullino, quaedam haud exigui roboris

---

(a) Conf. Benediētus Peirerius lib. XV. de Rer. natur. principiis. Maimonides in more neuchim P. II. c. XIV. & XV. add. Io. Hilpertus in Disquisit. de Prae-Adamitis c. IV.

boris argumenta pro impugnando hoc commento contineantur, ea hinc eruere, iisque veluti telis sententiae Peirerianae monstrum confodere, haud contemnendum erit operae pretium.

§. II. Ab vno homine peccatum in mundum venisse, cumque peccato mortem in omnes omnino homines pertransiisse, euidens apostoli est adsertum. Enimvero si Adamus primus homo non fuit, quomodo per eum peccatum originis in omnes homines naturali generatione propagari potuit? Hanc enim vocis *διηλθε* emphasim esse, vt de iis, quae quodam ad nos transeunt contagio, vsurpetur, supra ex Erasmo adnotauimus, vt fulius ea deducere necessum haud sit. Omnes omnino homines in Adamo h. e. in lumbis eius existentes, peccasse, idem apostolus in textu nostro discrete pronunciat. At si ante Adamum infinitis seculis homines priores existerunt, quomodo hi in eius lumbis existisse, quomodo in eodem peccasse, dici poterunt? sane cum de omnibus loquatur apostolus, aut prae Adamae in eorum numerum erunt referendi, & sic ab Adamo suam arcessent originem, quod vero, cum Peirerius longe ante Adamum eos fuisse comminiscatur, sine insigni absurditate dici nequit; aut catalogo *πάντων ἀνθρώπων* eximendi, & inter Chimaeras in abortiente Peirerii cerebro enatas, collocandi erunt. *ὅπερ ἔδει δεῖξαι.*

§. III. Sed & longe plura Scriptura sacra nobis subministrat tela, quibus monstruosum Galli nostri partum confodere possumus, vt tantum non iis obrutus nullam amplius sui referat speciem. Enimvero si mundus ante Adamum suos habuit incolas, edisserat quaeso Peirerius,

G

quo.

quomodo Adamus solus fuisse, nullumque, quod socialis cum eodem vinculi capax foret, adiutorium inuentum esse, dici possit, cum vtrumque tamen Scriptura sacra diferte commemoret. (b) Nonne cum DEVS omnis generis animalia, vt nomina ipsis imponeret, ad Adamum adduceret, insimul ex infinitis vtriusque sexus hominibus Adamo prioribus quosdam adferre potuisset, vt ex iis adiutorium sibi eligeret? Quis neget foeminam, quae cum Adamo in vnâ carnem coalescere debeat, inueniri potuisse, si mundus, vt Peirerius nugatur, innumeris repletus fuit & viris & foeminis? Quae omnia vero cum & ἀγαθα sint, & ἀντιγαθα, quis non videt, nihil omnino praesidii ex sacrarum literarum monumentis sententiae Peirerii accedere? Sed & idem ex aliis Scripturae sacrae oraculis euinci potest. Euam Matrem omnium viuentium adpellatam fuisse ab Adamo, Moses diligens historiae protoplastorum scriptor, nos edocet. (c) At quomodo tueri illa nominis istud decus potest, si longe ante illam innumeri vixerunt homines, diuersam plane agnoscentes originem? DEUM ἔξ ἐνός ἀματὸς πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων fecisse, apostolus in praeclara ad Athenienses habita oratione adfirmat. (d) Sed si Peirerium audias, eundem Paulo aperte contradicentem deprehendes, cum ex duobus sanguinibus totum genus humanum prodiisse, & alium Ethnicos, alium Iudaeos vitae sanguinisque auctorem habere, absurde adferat. Et quid multis? Adamus diferte πρῶτος ἀνθρώπος ab apostolo adpellatur. (e) Sane si vllum, hoc

(b) Gen. II. 18. 19. 20. (c) Gen. III. 20. (d) Act. XVII. 26. (e) I. Cor. XV.



hoc certe Paulli adsertum, totum Peirerii systema ruinosis hypothesibus superstructum, vno impetu conuellit, & infausto ipsius foetui, omnem vitam, omne adimit robur.

§. IV. Iliada post Homerum scriberem, si in refutandis Peirerii argumentis, quae pro roboranda fabella prae-adamitica adducit, operosus essem. Vnicum tamen ex nostro textu, ex quo contra eundem sagittam confodiendo ipsius partui idoneas depromimus, telum in nos retorquere posse videtur Peirerius. Quod ut ita excipiam, ut contractum in proprium dissiliat sinum, officii ratio exigit. Scilicet cum apostolus eorum, qui non peccarunt in similitudine transgressionis Adami, mentionem iniiciat, ille de victoria ante triumphum certus, ita insurgit: Tune vero hic alios, quam prae-Adamitas intelligere poteris? Nonne de his solis dici potest, quod peccatum transgressioni Adami simile non perpetrarint, cum eos, qui ab Adamo suam arcessunt originem, peccasse adserat apostolus? Bona verba Peireri! Telum istud nos non ferit, sed dissiliens tuo foetui, si quid adhuc reliqui spiritus habet, prorsus auferet. Considera mecum textum propius, & tum sine successu te telum istud proiecisse, luculenter videbis. In eos, qui non in propria persona sicut Adam peccarunt, mors dominium exercuisse dicitur. At ediffere quaeso, quomodo in eos, qui eodem peccato cum Adamo se non contaminarunt, regnare mors possit, quae Paulo adserente, peccati stipendium est, & nemini, nisi qui antecedente delicto istud promeruit, inferri potest. Tu vero, si DEVM immerentibus poenam infligere posse putas, in-

figliter falleris, & DEVM iniusti iudicis partes sustinere posse existimas, in eo iucundum animi spectaculum quaerentis, vt innocentes pro lubitu mortis adficiat supplicio. Mortis igitur dominium, cui ii, qui velut Adam in propria persona non peccarunt, vi iustitiae DEI vindictivae subiecti sunt, luculenter testatur, eos omnino peccatum perpetrasse, non quidem in propria persona, hac enim ratione solus Adamus peccavit, sed in Adami lumbis existentes, seu ἐν ἀνθρώπῳ. Abeat iam Peirerius, & rectius argumentari discat. Ex vngue leo nascitur, & ex vnico hoc Peirerii argumento, quam infirma cetera sint futura, facile diiudicari poterit. Sed ea adducere & fusius examinare superfedeo. Otia mihi hic fecerant Vri doctissimi ex nostris quidem Hilpertus, f) Dannhauerus, (g) Ursinus, (h) ex Reformatis Maresius, (i) & ex recentioribus Saldenus, (k) vt Micraëlium, Eusebium, vt vocari voluit, Romanum, Hulsium, aliosque taceam. Hi omnes in destruendo systemate prae-adamitico adeo laudabilem praestiterunt operam, vt nihil in hoc argumenti genere desiderari posse existimem. Sed & addi meretur vir eruditionis fama celebratissimus Io. Henr. Heideggerus, (l) qui Adamum & Euam πρωτοπίστους fuisse, solide & adcurate probavit.

§. V. Vnicum adhuc de Peirerio addere liceat. Eundem cum a Reformatorum ecclesia ad castra Pontificio-

(f) in Disquis. de prae-Adamitis. (g) Tr. prae-Adamita Vris. (h) in Prometheo nouo prae-Adamitarum Plafte. (i) in Refut. Fabulae prae-Adamiticae. (k) in Otis Theolog. lib. I. exerc. V. (l) in Hist. Patriarchar. P. I. Exerc. IV. §. 38.

ficiorum transisset, anno 1658. in epistola ad Philorinum publice sententiam suam retractasse, adnotat Schertzerus. (m) Enim vero an serio istud Peirerius fecerit, ego ferme dubito. Saldenus (n) equidem cum Theophilo Spizelio, Theologo Augustano, (o) eundem non multis, magnisque praemiis, atque propositis, sed confutationum evidentia conuictum, ad sanio rem mentem redisse contendit. Ego vero, si quid coniectando adsequi possum, adserere pene ausim, Peirerium nostrum magna praemiorum ab aula Romana facta pollicitatione allectum, & adiecta poenarum comminatione absteritum, ore quidem & scripto fabellam suam damnasse, animo vero eandem instar argutae cuiusdam hypotheseos magni aestimare haud desisse. Paucissimos his temporibus reperias, qui totos libros retractationum cum Augustino consignare in animum inducant; plurimos e contrario ad sententiarum monstra excludenda proclives, talis modi ingenii sui abortus adeo deperire videas, ut non nisi cum vita amorem eorum deponere soleant. Eandem Peirerii fuisse indolem, ei haud dubium amplius esse poterit, qui impium & profanum eius animum perspectum habet. Quidquid tandem huius rei sit, ego vanitatem commentii de prae-Adamitis ex sacris litteris demonstrasse contentus, Peirerium dimitto, & hinc omnes capere exemplum iubeo, in quae absurda homo sibi relictus prolabatur, si Scripturam sacram in re-

G 3

bus

(m) in Breu. Hülfem. extens. c. III. p. 107. (n) l. c. p. 72.  
 (o) in Liter. Infel.

bus fidei ipsi praelucentem deserat, & ignes fatuos corruptae rationis sequi malit.

§. VI. DOGMA SECVNDVM: Peccatum ab ipsis hominibus a genio infernali seductis in mundum venit, adeoque DEVS peccati auctor statui nequit. Prius thesios membrum ex textu nostro, si cum historia tentationis Gen. III. descripta conferatur, facili negotio demonstrari potest. Dum enim apostolus *diēvos aivdōwōs* peccatum in mundum ingressum esse, Moyses autem Adamum interuenientibus Eux blanditiis a serpente, quem diabolus obsederat, seductum, veritae arboris fructum comedendo reatum & peccati & mortis sibi posterisque suis contraxisse commemorat, quid luculentius inde colligi potest, quam omnem peccati culpam solum hominem, libero arbitrio turpiter abutentem, & posthabita lege Dei, seductori potius quam creatori credentem, deuoluendam esse. Quod cum firmo nitatur talo, tum & illud prona & inuicta consequentia inde inferri potest, DEVM nullo prorsus modo pro auctore peccati habendum esse. Cum enim in omni peccato, qua tali, homo spontaneo motu a DEO deficiens, & diabolus ad peccandum eum stimulans, DEO e diametro contradistinguantur, aut DEVM in producenda actione vitiosa cum diabolo amice conspirare dicendum erit, quod vel cogitare blasphemum foret; aut omnis omnino in peccata, qua talia, influxus de DEO negandus erit. Sed & omnia Scripturae sacrae dicta, quae DEVM cum peccato qua tali concurrere vel directe vel indirecte negant, huc referenda sunt. Nos pauca in praesenti adducemus.

mus. Egregie Pfaltes Regius Dauid: (p) *Non es DEVS  
volens iniquitatem; odisti, qui operam dant iniquitati.*  
At si supremum illud Numen actu positivo in actionem  
vitiosam, qua talem, influeret, nonne se ipsum abnega-  
re, suam eiuraret sanctitatem; & omnino iniquitatem,  
velle dicendum esset? Extremum insuper odium, quo  
peccata quaelibet prosequitur, & grauissimae poenae,  
quibus peccatores adficit, quid aliud nos edocent, quam  
omnem omnino peccati culpam a Deo alienissimam es-  
se, cum rei istius, cuius est osor atque vltor, auctor nul-  
lo prorsus modo dici possit. Neminem a Deo, sed vnum-  
quemque a propria concupiscentia inescatum, ad ma-  
lum tentari, diserte pronunciat Iacobus, (q) Iam dum  
*id est iniquitas* eiusque operatio, Deo eiusque operatio-  
ni e diametro opponatur, quis non inuicte inde colligat,  
omnia hominum peccata longe diuersum ab influxu Dei  
principium, e quo oriantur, prauam scil. concupiscen-  
tiam agnoscere, sicque DEVM, ne minimum quidem  
motum ad producendam actionem vitiosam, qua talem,  
conferre. Adescent plura, quae vrgere possem, scri-  
pturae oracula, sed cum ex adductis thesoro nostrae ve-  
ritatis inuicte adstructa sit, insuper quoque in systematibus  
theologicis passim roborata reperiatur, breuitatis studens  
reliqua omitto.

§. VII. Coecum esse oportet, qui horum Scri-  
pturae sacrae dictorum euidentia conuictus, contrariam  
tueri sententiam haud reformidet. Videas tamen  
hilominus nonnullos ex Reformatae ecclesiae doctori-  
bus,

(p) Psal. V. 5. (q) Iac. I. 11.

bus, aduersis pugnare frontibus, & DEO realem atque positiuum in omnia peccata influxum adsignare, eundem causam atque auctorem peccati nuncupantes, & summam DEI sanctitatem, quam vna manu in solium gloriae diuinae euexisse videbantur, altera ex eodem deturbantes. Zvinglii, Piscatoris, Bezae, Maccouii, aliorumque hac de re effata passim adferri solent. DEum procurare, vt peccata etiam grauissima fiant, vt nullum ab hominibus perditis admittatur scelus tantum, quod non, vt ab iis fieret, procurauerit, dura satis Piscatoris vox est. (r) Nec ferendam quod alio in loco scribit: (s) Cum DEus velit in aliis hominum iustitiam punientem, in aliis vero misericordiam parcentem exercere, necesse est, vt etiam voluerit, ac velit homines peccare, & impossibile est, vt id non velit, quia res illae natura sua ita cohaerent, vt exercitium illud sine peccato locum non habeat. Deum esse veram causam & primam quidem & principalem actuum physicorum, quibus inseparabiliter adnexa est malitia & deordinatio, Rhetorfortis diferte pronunciat (t). Nec desunt ex recentioribus, qui similia docent; saltem talia adserunt, ex quibus haec, quam refutamus, sententia, non potest non prona consequentia fluere. Heidanus certe omnem actum peccati, efficientia DEI fieri scribit, (u) & Petrus a Maltricht violationem foederis Paradisiaci DEum aeterno decreto praedeterminasse, adserit. (x) Aut me omnia fallunt, aut

(r) in Praefat. Respons. amic. ad Duplic. Vorstii. (s) in Duplica contra Vorst. P. I. 407. (t) L. de Prouid. p. 520. (u) L. V. Corpor. Theol. p. 377. (x) Theol. Theoretico Pract. Tom. I. L. IV. c. 1. p. 332. & p. 348.

aut hoc nihil aliud est, quam DEVM peccati ipsius causam atque auctorem, constituere. Quicumque enim peccatum, qua tale, procurat, vult, efficit, praedeterminat, is certe pro causa atque auctore ipsius peccati non potest non haberi. Quod quantopere cum sanctitate, summaque Numinis perfectione pugnet, vel me non monente, quilibet intelligit.

§. IIX. DOGMA TERTIVM: Peccati consequens necessarium est mors non tantum naturalis, sed spiritualis, atque aeterna, & quidquid mortis nomine in sacris litteris exprimitur. Equidem id extra omne dubium positum, mortem peccatum insecuram esse, haud aliter ac quoduis delictum poenam tamquam individuum post se trahit comitem, cum apostulus per peccatum mortem in totum genus humanum pertransisse, diserte adferat. Sed quale mortis genus praecise sit intelligendum, de eo inter nos, & Socinianos disceptatur. Hi enim cum Protoplastos etiam, citra peccatum, morti corporisque doloribus obnoxios fuisse, adferant, (y) mortem corporalem poenam peccati fuisse inficiantur, cum Ostorodo (z) distinguentes inter naturalem mortalitatem, & ipsam mortem atque necessitatem moriendi, & textum nostrum Paullinum de sola necessitate moriendi, quae, si ho-

(y) Conf. Socinus L. de statu primi hominis fol. 57. Praelect. Theol. c. 1. to. Smalzius contra Franzium p. 397. & Völkel. L. III. de vera Relig. c. 9. (x) in Institut. Theolog. c. 33. p. 270.

si homo non peccasset, ex creatoris beneficio penitus cessasset, explicantes. Sociniani adstipulantes sibi habent Arminianos, e quibus Stephanus Curcellaeus solam moriendi necessitatem per peccatum introductam, sed tamen hominem reuera mortalem fuisse adserit, & id pluribus argumentis euincere conatur (a). Enimvero uti fictitia ista Adami in statu integritatis constituti mortalitas iam pridem a nostratibus theologis destructa est, (b) utpote Scripturae sacrae aduersans, quae hominem *ἐπι ἀφθασία* creatum esse adserit, (c) ita e contrario mortem corporalem, & omne, quod mortis nomine in Scriptura sacra exprimitur, tamquam poenam peccati considerandum esse, ex comminatione poenali legi diuinæ subiuncta, & adcuratius perspecta, abunde elucescit. Scilicet, cum sanctio ista poenalis: *Ex quo die comederis de arbore scientiae boni & mali, moriendomorieris*, generalibus, & nullam restrictionem admitterentibus verbis concepta sit, haud inepte inde colligitur, omne illud, quod denominationem mortis in Scriptura sacra sustinet, verbis *מָוֶת חַיִּים* a sanctissimo legislatore fuisse comprehensum. Obiicias hic fortassis tritum illud Ictorum effatum, fauorabilia equidem extendi, sed odiosa, quantum fieri potest, restringi debere, adeoque cum poena inter odiosa iure meritoque referatur, ea, quae de poenis sanciantur non sine quadam restrictione admitti posse. Enimvero licet id in humanis locum obtinere posse concedam, an tamen idem ad di-

(a) Institut. Theol. L. III. c. 8. (b) conf. Feurborn in Anti-Ostorodo p. 458. (c) Sap. II. 23. 24.



ad diuina translatum aeque facile adferi possit, ego quidem omni iure ambigo. Quae enim sanctissimus legislator generalibus efferre voluit terminis, quis quaeso ea restringere in animum inducat? Quis legales eius minas arctioribus, quam quos DEVS illis posuit, limitibus circumscribere audeat? Id sane temerarium, & cum summa in creatorem iniuria coniunctum foret facinus. Sed & ex eo, quod verbum *in* in comminatione diuina geminatum deprehendamus, haud obscure argumentari licet, in omni, quam admittere potest, emphasi, illud accipiendum, adeoque omnia malorum genera, quae iustitia DEI infligere decreuerat, & reapse inflixisse euentus comprobat, nomine mortis intelligenda esse. Egregie prorsus huius verbi duplicati emphasin exponit Augustinus (d): Non tantum, inquiens, intelligitur primae mortis pars prior, vbi anima priuatur DEO, nec tantum potior, vbi corpus priuatur, anima nec solum ipsa tota prima vbi anima & a DEO, & a corpore separata punitur; sed quidquid mortis est, vbi que ad nouissimam, quae secunda dicitur, & qua nulla est posterior. Aliud roborandae thesi nostrae inseruiens argumentum, supremi legislatoris sanctionem poenalem promulgantis intentio, nobis subministrat. Hanc enim si paullo sollicitius indagemus, tum id euaudet certissimum, DEum primo homini praesentis status, omniumque, quae in statu isto possidebat, bonorum priuationem, contra vero omnium felicissimae ipsius conditioni aduersantium malorum, cumulum, minari,

H 2

(d) lib. XV. de C. D. c. 12.

minari, horumque omnium comminatione a peccato & inobedientia deterrere illum voluisse. Cum vero beatissimae Adami vitae non tantum mors aeterna, aut moriendi necessitas, sed ipsa etiam mors corporalis cum omnibus eius prodromis, atque effectis aduersaretur, quippe quae omnia naturam eius euerfura, & felici statu eiectione erant, si peccaret, euidenter hinc adparet, non tantum mortem sine fine duraturam, & moriendi necessitatem, sed omne, quidquid mortis nomine scriptura exprimere consuevit, seuera DEI comminatione contineri.

§. IX. Sed haec generalia fuerunt argumenta. Subiungam his specialia, & quoduis mortis genus necessarium peccati consequens esse, sigillatim atque distincte euincere conabor. Mortem igitur corporalem quod attinet, de ea nullum amplius residere poterit dubium, cum legislator ipse de morte corporali suam explicet comminationem: *Pulvis es, inquit, & in puluerem redibis.* (e) Sed & illud, quod phrasin istam מות חמה in Scriptura S. de morte corporali adhiberi deprehendamus, (f) egregium nobis praebet argumentum, eadem verba hic quoque in eodem significato accipienda, & de morte corporali explicanda esse. Apage hinc fatilem Socinianorum, & Arminianorum inter naturalem mortalitatem, & necessitatem moriendi distinctionem. Cum enim per mortalitatem istam potentia

---

(e) Gen. III. 16. (f) I. Reg. II. 37.

tentia proxima naturaliter, & per se ad *φθόρον* vergens, atque propendens intelligenda sit, quis non videt, illam infamul necessitatem moriendi naturalem, adeoque actualem, nisi aliunde impediatur, mortem includere. Istud quoque non praetermittendum est, non posse non sanctionem DEI poenalem de naturali mortalitate tamquam poena peccati loqui, utpote quae a primo transgressionis momento suum cepit initium. Hoc enim si supponamus, tum egregie simul declarari poterit, quomodo comminatio diuina primo lapsus momento etiam quoad mortem corporalem valore suum exercuisse dici possit, cum hominem corporaliter confestim mortuum haud esse exitus comprobarit. Conf. omnino Feurbornius. (g) Omnino quoque, quae vel ad mortem accelerandam aliquid conferunt, vel iuculentum de corporis nostri fragilitate praebent testimonium, utpote labores difficiles, dolores, morbos, & alia huius generis poenis peccati adnumeranda esse, de eo nos ipse legislator, dubitare rursus haud sinit. Ille enim seuerae, quam minatus fuerat, poenae protoplastos nostros obnoxios redditos esse demonstraturus, ad varia miseriarum genera eos condemnat, simulque hanc iudicariam sententiam antegressae comminationi inniti, & mortalitatem corporis longum istud calamitatum syrma post se trahere, diserte testatur. (h) Ipsa Scriptura quoque varias, quibus hominum vita premitur, adfi-

(g) in Anti-Ostoro p. 458. 459. (h) Gen. III. 16. 17. 18. 19.

addictiones nomine *Savars* insignire consuevit. Sic Pharaonem idamnum illud a locustis ipsi illatum, *מִצְרַיִם* adpellasse, superius adnotauimus. Simili ratione Dauid varia, cum quibus ipsi collectandum erat, infortuniorum genera *מִצְרַיִם* adpellat. (i) Paulus quoque varia, quae ceruici ipsius imminuerunt, pericula nomine mortis exprimit, *ἐν Σαρδείοις πορεύεις* se constitutum fuisse adfirmans. (k) Quae omnia uti variam illam, quae nos circumstat, miseriam denominationem *Savars* quae sustinere posse, probant, ita, dum mortem peccati consequens esse statuimus, tristitia, quae lapsum Adami secuta sunt, mala, haud prorsus excludenda esse euincunt.

§. X. Miserum illum, in quo anima hominis arctissima cum DEO vnione, & gratia eius destituta versatur, statum, mortem spirituales in sacris litteris adpellari, notius est, quam ut fufius id euinci debeat. Sed illam quoque tanquam peccati poenam, quae a sanctione DEI suum accepit valorem, considerandam esse, probatu haud erit difficile. Scilicet hic ante omnia supponendum est, hanc demum veram animae esse vitam, si DEO vivat, & firmissimo amoris vinculo cum eo coniuncta gratioso eius influxu fruatur, & ea quidem in re summum felicitatis Paradisiacae fastigium collocandum esse. Hoc vero culmine cum Adamus, eiusque posterum nefaria legis transgressione exciderint, quis non inde colligat, hominem, dum DEVM domi-

(i) Pl. CXVI. 3. (k) 2. Cor. IV. 23.

domicilio suo expulit, & gratiosam eius praesentiam de-  
 dignatus est, in mortem spiritualem recidisse, & sic gra-  
 vissimam poenam subiisse? sed & cum poena, quam  
 DEVS protoplastis minatus fuerat, toti homini infligi  
 debuerit, adeoque se non ad corpus tantum, sed etiam  
 ad ipsam animam extendat, id rursus inde inferitur, non  
 aliam animae poenam assignari posse, quam mortem  
 spiritualem, cum mors corporalis corpus saltem, eius-  
 que destructionem respiciat. Accedit insuper & istud,  
 quod, comminatio diuina actualement mortem eo die,  
 quo homo fructum vitæ arboris degustaret, certo se-  
 cuturam includere videatur, praecipue quoad animam  
 ea valorem suum confestim exsternisse dici possit, ita  
 quidem, vt ab ipso lapsus momento mortis spiritualis  
 pependit initium, & homo suauissima cum DEO  
 vnione, eiusque gratia se excidisse proutinus senserit.  
 Scriptura denique dum omnes omnino homines in sta-  
 tu corruptionis constitutos *verges rōis παραστήματα καί*  
*ταῖς ἀμαρτίας* pronunciat. ad sanctionem DEI poena-  
 tem oculos retorquere, mortemque spiritualem, tam-  
 quam tristem peccati effectum, intueri iubet. Mortem  
 aeternam quoque e primi peccati matrice tamquam in-  
 faustum partum prorupisse, in sacris litteris luculenter  
 itidem edocemur, Paullus sane, dum mortem, quam  
*ὁ θάνατος τῆς ἀμαρτίας* adpellauerat, vitæ aeternae dire-  
 cte opponit, clare satis indicat, peccatores sub diaboli  
 vexillo militare fatigentes, mortem aeternam tam-  
 quam triste laborum suorum mereri stipendium. In-  
 felicissimum damnatorum statum in apocalypsi Iohan-  
 naea mortem secundam adpellari norunt omnes, quibus  
 scri.

scripturam perscrutari volupe fuit. (1) Quod quidem si quis paullo adcuratius expendat, quis non in eam adducatur sententiam, supremum legislatorem phrasi ista *הוֹרֵה מוֹת* duplex istud mortis genus primam scilicet, quae mortem & corporalem & spiritualem ambitu suo complectitur, & secundam, quae in exclusione a beatifica DEI visione, & aeternum duraturis cruciatibus consistit, exprimere, simulque indicare voluisse, se hominem, legem DEI transgressurum, utroque mortis supplicio adfecturum esse. Sed & cum Christum ab aeterna morte humanum genus redemisse, clara Scripturae sacrae dicta nos edoceant, omne illud autem, a quo Christus nos liberauit, vel peccatum, vel poena peccati sit, inuicte inde argumentari licebit, mortem aeternam, cum peccatis adnumerari nequeat, inter calamitosos peccati effectus collocandam esse. Taceo cetera, quae in medium adferri possent, argumenta. Ego enim firmiter persuasus sum, hactenus adducta eo niti robore, ut dogmatis nostri veritati suffulciendae, & sententiae contrariae penitus destruendae, adprime inferuire queant.

§. XI. DOGMA QUARTVM. Peccatum Adami iure meritoque imputatum fuit omnibus eius posteris. Huius thesios veritas ut euadat clarior, ex superius adductis hic repetendum est, Adamum in foedere operum, quod DEVS cum eodem pepigerat, tamquam caput, & principem, qui totius generis humani personam sustinue-

---

(1) Apoc. II. 11. XX. 6. 14. (m) Of. XIII. 14. I. Cor. XV. 54.

stinuerit, considerandum esse. Sane sanctionem illam Paradisiacam non soli Adamo, sed in eodem toti generi humano promulgatam esse, vel ex eo euidenter apparet, quod cetera instituta Paradisiaca non ad solos protoplastos, sed omnes eorum posteros extendendi sint. Benedictionem de propagatione generis humana ad solum Adamum pertinuisse, nemo ut opinor, adfirmare audebit, cum omnes eius posterii effectum illius in quavis carnali generatione luculenter deprehendant. Matrimonii insinuationem, & sabbathi sanctificationem non ad solos Protoplastos, sed ad omnes, qui ab iisdem descendunt, spectasse, ei dubium haud esse poterit, qui obligationem, qua ad utrumque obseruandum homines obstringuntur, a prima illa Dei sanctione arcessendam esse, nouit. Haec omnia ut Adamum in paradiso omnem suam stirpem retulisse luculenter arguunt; ita haud inepte nos inferre sinunt, idem in sanctione de abstinendo ab esu arboris scientiae boni & mali obtinuisse, primumque hominem omnes, in lumbis existentes posteros, repraesentasse. Enimvero si haec iam supponamus, tum vero, peccatum Adami omnibus ipsius posteris iure meritoque imputatum esse facili negotio confirmari poterit. Apostolus sane, dum omnes in Adamo peccasse diserte pronunciat, haud obscure innuit, omnes homines in Adamo existentes, foedus operum cum eo rupisse, & hinc iure ipsius peccatum per imputationem ad eosdem deuolutum esse. Sed, & dum per inobedientiam unius multos constitutos fuisse peccatores idem adserit gentium doctor, quid aliud indicat, quam peccatum istud non unius hominis; sed totius

tius generis humani fuisse, ita quidem, vt, cum in Adami voluntate omnium hominum voluntates concurrisset ex intentione creatoris censi debeant, peccatum ipsius toti posteritati sine vlla, quae a creatore in illam redundare queat, iniuria, imputari potuerit. Haud infirmum quoque pro roboranda dogmatis nostri veritate, ex reatu poenae, duci potest argumentum. Scilicet, cum nemo eadem cum aliis poena adfici possit, nisi qui eodem se contaminauit peccato, inuicte sane inde colligitur, totam Adami posteritatem, cum in eam omnia malorum genera, ab irato iudice primo homini denunciata, redundasse, tristis comprobet experientia, infimul de culpa & transgressione eius participasse, & hinc omni iure reatum culpae, quem Adamus peccato, in propria persona commisso, contraxerat, omnibus ipsius posteris, cum eo simul peccantibus, adiudicatum esse. In Adamo omnes mori, Paullus alibi adfirmat. At quomodo in eo omnes mori possent, nisi in eodem peccassent, iisque transgressio Adami iure meritoque imputata fuisset?

§. XII. Clara haec sunt atque euidentia, vt mirandum sit, dari homines, qui ad splendidum istud veritatis coelestis iubar coecutiunt. Coecutientes tamen hic deprehendere licet Socinianos, (n) & Arminianos, (o) qui Adami peccatum ideo a Deo posteris imputari, & quod

---

(n) Conf. ipse Socinus L. IV. de Christo Seruatore c. 6. Praelect. Theol. c. IV. fol. 12. (o) Conf. Apol. f. 84. Arminius in Anti-Perkinsio p. 170. Coruinus contra Tilenum c. 6.



quod eos eiusdem cum primo homine peccati & culpae reos censuisset, diserte inficiantur. Non ego iam in omnibus Aduersariorum obiectionibus soluendis operosus ero. Ne quis tamen inuicta plane eos proferre argumenta existimet, quaedam adducere, & pro ingenioli modulo refellere placet, cum primis cum ex textu Paulino, ex quo dogmatis nostri veritatem stabiluimus, eandem impugnare haud vereantur. Scilicet si ipsis clara Paulli verba ἐφ' ᾧ πάντες ἠμαρτον, opponas, illi vt hypothese suae inferuiant, mirifice ista detorquent, Paulum docere tantum, quod exemplo peccantis Adami & reliqui peccandi consuetudinem induerint, voculas ἐφ' ᾧ causaliter explicari debere, contententes. Enimvero si textus Paulinus paullo adcuratius inspiciatur, nihil omnino de imitatione exempli, loqui apostolum, sed illam potius in quibusdam, in quos tamen mors tyrannicum exercuit dominium, v. 14. excludere, euidenter adparebit. Illud quoque haud obscurum est, cum omnes, in quos mors transit, in propria persona non potuerint peccasse, multis eorum in vtero extinctis, eosdem in Adamo peccatum commisisse, adeoque phrasin ἐφ' ᾧ si non explicite, tamen implicite, & per consequentiam illud adfirmare. Ad alia iam scripturae dicta, & ea imprimis, in quibus filium non portaturum esse iniquitatem patris DEus pollicetur, (p) prouocant, iisdemque imputationem peccati adamitici ad omnes posteros extendendam, sacris aduersari litteris, euincere sat-

(p) Ezech. XLIX, 20. Ierem. XXXI. 29. seqq.

re fatagunt. Enimvero ex istis quoque dictis nihil eorum sententiae accedit praesidii. Id quidem extra omne dubium positum est, filium vestigia impii patris non legentem, iniquitatem patris non esse portaturum, ut tamen ille, qui eidem peccato paterno & ipse inuoluitur, eandem portare non debeat, inde nullatenus euinci potest. Iam cum apostolus omnes in Adamo, tamquam capite ac principe foederis, peccasse diserte pronunciet, quis, eisdem inique transgressionem Adami imputari, adferat? Denique, cum in loco Ezechielis citato animam peccatricem mortis supplicio adfici debere, DEUS minetur, & illud ex textu Paullino manifestum sit, mortem in omnes omnino homines pertransfisse, euidenter hinc colligitur, totum genus humanum in communi parente suo legem DEI transgressum esse, cum supplicio mortis istud tantum subiectum, quod reatum culpae contraxit, adfici possit. Alienum esse a iustitia nedum bonitate Dei, ut aliena culpa alicui, qui eam propria eaque libera voluntate non admisit, imputetur, noua aduersariorum est obiectio. Sed & illa tanti non est roboris, ut theseos nostrae veritatem conuellere queat. Scilicet cum malum poenae, Adamo inflictae, omnibus eius posteris simul infligi, a quouis concedendum sit, longe alienius fore a iustitia DEI dicendum est, si malum poenae, absque vllius culpae imputatione, toti generi humano imputaret. Sane cum illum, qui iustum ad poenam condemnat, DEO abominabilem esse, regum sapientissimus Salomo pronunciet, (9) num iustifi-

---

(9) Prou. XVII. 15,

ffimum totius orbis iudicem ea, quae in hominibus abominanda ipsemet censet, perpetrare dicemus? Absit, ut hoc de sanctissimo Numine vel cogitemus, nedum praesidenter adferere in animum inducamus. Sed & illud insuper monendum, Adami culpam non absque fundamento toti generi humano imputatam esse. Cum enim posteri de protoplastorum peccato reuera participauerint, eoque ipso foedam totius naturae labem contraxerint, DEUS peccatum vnus omnibus imputans nihil omnino, quod iustitiae ipsius vel leuem adspargere possit maculam, egisse, dici potest. His omnibus illud denique addendum, voluntatem Adami simul omnium ipsius posterorum voluntatem virtualiter & interpretatiue fuisse, adeoque, cum Adamus libero voluntatis motu, legem Dei transgressus fuerit, posteritatem quoque ipsius libero arbitrio turpiter abusam, reatum culpae, & poenae contraxisse. Cetera, quae ab aduersariis adferuntur, argumenta, ob breuitatis studium examinare supersedeo, cum, si haecenus adducta probe tepeantur, facili opera destitui possint. Conf. de hoc argumento ex nostris Calouius (r) ex Reformatis Braunius (r) & Wirtsius (t).

§. XIII. DOGMA QUINTVM. peccatis atrocitas atque efficacia ex lege demum cognoscitur. Huius quoque dogmatis veritas ex textu Paullino sufficienter roborari potest. Dum enim peccatum, nondum existente lege scripta, pro peccato non reputatum esse Paullus adferit,

I 3

lucu,

(r) System. Theol. Tom. V. p. 159. 160. (s) in Doctr. foederum Vol. I. P. III. c. II. Loc. IV. p. 272. (t) in Oecon. Foed. Dei L. I. c. 8. p. 112.

luculenter satis indicat, ex lege demum agnitionem peccatorum, eorumque foeditatis provenire. Quod uti nobis ad usum legis declarandum viam sternit, ita quo minus illam ingrediamur, nihil omnino prohibet, cum primis cum illud a scopo nostro non sit plane alienum. Enimvero de distinctis distincte hic agendum erit. Alium quippe usum lex in statu integritatis habuit, alium rursus in statu corruptionis praestat. In statu integritatis hic legis protoplastorum cordibus inscriptae usus erat, ut omnes animi motus, omnes actiones tum internas, tum externas ad illam tamquam absolutissimam faciendorum regulam exactissime homines componerent, & perfecta eius impletione, vitam aeternam ex gratuita creatoris promissione, consequerentur. Moses equidem promissionis huius diserte haud meminit. Negandum tamen haud est, Adamum id cognitum habuisse, quod tot sacrarum litterarum testimoniis roboratum deprehendimus, legem homini datam esse in vitam, (u) hominem leges & statuta observantem in iis victurum esse. (x) Quod de vita aeterna intelligendum esse, ex novo testamento abunde elucescit. (y) Neque tamen, integrum hominem hac ratione vitam aeternam promeruisse, dici potest. Merae liberalissimaeque Dei gratiae beneficium illa permanebat, & non nisi per modum praemii homini conferebatur, cui, quae in homine respondet actio, meriti nomine nullatenus venire potest. Hic usus legis in statu integritatis obtinens, ut ut prorsus esset egregius, & ad omnes omnino homines sese extendisset, statim tamen, postquam protopla-

sti, &

(u) Rom. VII. 10. (x) Levit. XIX. 5. Ezech. XX. 11. (y) March. XIX. 16. Luc. X. 15, 28.

ti, & omnes eorum posterius foedus operum irritum fecerunt, penitus cessauit. Vnde apostolus, legem per carnem infirmatam esse, diserte pronunciat. (z) Ceterum vt lex in rigore suo considerata, vires hominis post lapsum excedat, vt nemo per impletionem eius vitam aeternam adipisci possit, non tamen omnem eius usum prorsus sublatum esse, censeretur. Vfus sane eius, quem hodie sub foedere euangelico exserit, multiplex est. Alium enim circa credentes, alium circa poenitentes, alium circa extreme impios praestat. Primum directiuum, secundum paedeuicium, tertium coactiuum cum B. Hulsemanno vocamus. Scilicet credentes in Christum lege vtuntur instar normae, ad quam obedientiam suam DEO debitant componunt, ne propria quadam sanctimonia religiosum vitae genus excogitent, & sine verbo & mandato DEI cultum DEO praestent. Et hic est vsus directiuus. Circa poenitentes, seu eos, qui gratiae DEI praeuenienti malitiose obicem ponere desinunt, usum praestat paedeuicium, dum eos de peccatorum foeditate admonet, ea confiteri, detestari, & extremo odio prosequi, sicque non fucatam agere poenitentiam docet, denique ad Christum Redemptorem, in quo irato DEO reconciliari possunt, quaerendum compellit. Vnde Paullus legem *παρεβάσεων χρέω* latam esse adserit, (a) vt speculi vicem praestet, quod deformato homini turpes peccatorum maculas monstret, & vt easdem eluere conetur, tacite admoneat. Idem quoque (b) Apostolus dum legem *παρδαγωγὸν ἡμῶν χρεῖσόν* nominat, luculenter simul commonstrat, id quoque legem efficere, vt conscientias nostras, ostensa peccatorum foeditate, der-

(z) Rom. VIII. 3. (a) Gal. II. 19. (b) Gal. III. 24.

te, percellendo, & iram DEI grauiſſimasque eius poenas denunciando, mediatorẽ Christum quaerere, eiusque meritum nobis adplicare incipiamus. Circa impios denique lex vsum praestat coactiuum, dum, eos maledictione & comminatione sua, terret, vitamque ad externam morum honestatem componere, formidine poenae compulsos, cogit. Hoc sine Paullus iniustis, immorigeris, impiis & peccatoribus, sceleratis, & contaminatis, legem esse positam adserit. (c) Conf. System. Theolog. passim.

§. XIV. Sed abrumpo. Non enim tractatum, sed disputationem, quae intra suos se continere debet terminos, conscribere animus fuit. An in omnibus Tuo satis fecerim desiderio, Beneuole Lector, penes Te esto iudicium. Quod si id negaueris, lubens tibi subscribam. Neque ego vniquam tale quid, quod omni ex parte absolutum & perfectum esset, & litterati orbis adpetitum satiare posset, a me proficisci potuisse, censui. Quod si id obtinero, vt foedam illam, quae mortalium pectoribus inhaeret labem, non sine pio quodam horrore consideres, & admirabile illud iustitiae & misericordiae temperamentum, in iustificationis nostrae negotio conspicuum, grato expendas animo, tum haud poenitendum me laboris fructum retulisse, gaudebo. Ita enim, quem vsum practicum textus Paullinus subministrat, facile cognoscēs, simulque ad gloriam DEI debitis laudibus celebrandam, excitaberis. Ego aeterno Numini pro praestitis in hoc negotio viribus submissas persoluo gratias, eique me meaque studia deuoto animo commendo.


(c) I. Tim. I. 9.

F I N I S.





















































60  
80  
60  
40  
10  
000

01 A 65 16

ULB Halle  
002 933 25X



3

f  
56

Hi. 89.





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Centimetres

3  
TIGENIAM

V, 12. 13. 14.  
NSTRATAM  
ICE DEO  
AE MAGNIFICENTISSMO  
INCIPE AC DOMINO  
**MO HENRICO**  
IACI, CLIVIAE, AC MON.  
, WESTPHALIAEQVE,  
ELIQVA  
ESIDE  
**SCO BVDDEO**  
D. ET P. P. O.  
RVMQVE PROMOTORE  
VENERANDO  
A. M. D. CC. VII.  
TORVM EXAMINI  
PONIT  
ES KRIEG  
NENSIS  
& R.  
N A E  
MULLERIANIS.